
GVLIELMI SOSSI
de Vita
HENRICI MAGNI
LIBRI IV.



NAPOLI

PARISIIS,
Apud PETRVM CHEVALERIVM,
via Iacobæa, ſub ſigno D. Petri.
cIↄ. Iↄ. XXII.

Ex Priuilegio Regis.

EXCELSO

NIC. BRVLARTIO FRANCIAE CANCELLARIO,

GVL. SOSSIVS S. D.

ILLVSTRISSIME,

voueo tibi ſcriptum à me Henricũ Magnum: ſed reddo tibi Principẽ quẽ verè olim poſsidebas. nam cùm teſtis eſſes regiæ cogitationis, arbiter mentis, miniſter ſacræ voluntatis, interpres imperij, magiſter conſilij, aſsiduus in familiaritate Principis, totus

EXCELSO

NIC. BRVLARTIO FRANCIAE CANCELLARIO,

GVL. SOSSIVS S. D.

ILLVSTRISSIME,

I voueo tibi ſcriptum à me Henricũ Magnum: ſed reddo tibi Principẽ quẽ verè olim poßidebas. nam cùm teſtis eſſes regiæ cogitationis, arbiter mentis, miniſter ſacræ voluntatis, interpres imperij, magiſter conſilij, aßiduus in familiaritate Principis, totus

intrà Principē, totū Regiū numen occupabas. ademptum tibi en reſtituo. & eodem iure quo tu iuris princeps, & νομοδείκτης, reddendum vnicuique ſuades & iubes, quod ſuum eſt. aſpice tuus ſit an iſte Princeps quem ſcribo: iſte animus, iſta magnanimitas ſitne principalis. es tu peritiſſimus huius negotÿ explorator. Quippe ex amplitudine tuâ feciſti regiæ magnanimitatis experimentum: & fuit Princeps non puſillanimus, cùm te fecit maximum: non temerariis incrementis propellens te in honorum alta præcipitia, ſed ducens ad faſtigia dignitatum per gradus. vt quantò melior ipſi eſſes, tantò maior emicares apud vniuerſos. vt cùm ad probitatis ſupremum veniſſes apicem, votereris etiam ad

honorem, infrà quem honores cun-ctì. patere narrari gradus celſitudi-nis tuæ; video te primùm inter E-phoros arcani regij: ex hoc diuino-rum conſiliorum adyto penetran-tem aureum Franciæ tribunal, ſed inter Præſides proximè lacunar conſcendentem. inde ob negotiatio-nem rerum arduarum, dilectum ſeriæ ad ſummum Pontificem le-gationi. ſed ex itinere quàm ad-mirabile Francæ deſolationi reme-dium excogitaſti? conciliatâ Prin-cipi Mariâ coniuge, quæ rempubli-cam incomparabili prole ſolidauit. atque vbi Henricũ inter & Monar chas componendæ pacis tractanda fuêre myſteria, non reticebo te inter præcipuos tranquillitatis publicæ œconomos. ſacra deinde apud te ſigilla depoſita. ſplendes poſtremò

ſuprà gradus omnes in vertice reipublicæ: vt inter diſcreta tàm principalium præmiorum, quàm virtutum tuarum interualla, magnanimitas emineret Henrici refutantis illud,

ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

maximum Principem colis etiam defunctum. prorsùs vt Silius Conſul & Poëta Virgilij Poëtarum principis venerabatur imaginem, quam fertur habuiſſe domi: ſic tu togatorum princeps, Principem qui togatos creabat, honoras etiam in Iconibus. vt docuit me recens Federici Morelli Attici epiſtola, habes in cryptoporticu Berneæ villæ, xxij. tabellis induſtriè depicta Henrici facinora. viuit ibi, loquitur, oſtenditque ſe, & Magnum exponit. eſt ibi celebris pictura in admi-

ratione, ſed eſt res eminens è tabellis in veneratione: nec ſuſpicit quiſquam eo loco geſta Principis abſque religione, & quodam animi horrore pio. ſi tantus eſt ardor tuus retinendi & conſeruandi inter lares Principis, eccum accipe expreſſiùs & ſeueriùs in libris, quàm in picturis. verùm in meis paginis, ne quæſiueris ſingulas Henrici venas, ſingulas fibras, totum modò Principem examina. vt in Icone vultum tantùm adſpectas, nec deſideras occulta & poſtrema capitis, quia ipſa è vultu patent, totúmque vides & intelligis ex ore caput: ſic licet ſingulos Principis nervos paginæ meæ non numerent, videbis tamen totum neruoſum. In mea vtinam vota propitiè ſis vocatus: placiturum enim tibi, ſuperbâ nunquam cogi-

tatione præſumpſi. Nam vt videmur ſcire & ſapere non tam ex induſtria ſæpiculè, quàm ex dæmone ſeu fortuna, σοφοὶ κατὰ δαίμον᾽ ἄνδρες: ſic ſorte quadam grati ſumus. placétque nihil ex æquo cunctis,

τερπνὸν ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσσεται οὐδέν.

viris tamen magnis, etſi ſuum cuique ſcientiæ genus & ſtudium mirè placet, nulla eſt doctrina non delectabilis. per ego te, per Muſas meas iuro, nunquam eo veniſſem audaciæ, vt tuum ad ſplendorem immodeſtè accederem, pagináſque meas inconſideratè exponerem, niſi peccare me ſi secùs facerem, aſperè monuiſſet vir ille, quem citaui, Atticus. Eſto, inquit, Cenſor tuus Excelſus Nic. Brulartius: ſi bonus illi videbere, tutor erit humilitatis tuæ apud Henrici Natum

Regem, nato Regi offer parentem, vt Brulartio ſuum Principem. Illuſtriſsime, examina, niſi dedignaris, ſinceros libros: & ſi probas, protege. ſi protegis, vt in arce tutelæ tuæ ſim aduerſus liuorem impenetrabilis, habe in penetrali cordis.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΙΑΣΩΣΙΟΥ
εἰς τὸν αὐτὸν Νομοφύλακα.

ΕΥφραδέως διέπεις Φραγκῶν μεγαλώνυμον ἔθνος
Ἁρμονίαισι νόμων ῥυθμοῖς τε θεόδματον ἄστυ,
Ἀμφιπόληες ἀρεταὶ νοέων συνέσει τε βίον τε,
Πρωτογόνων ὅτε κῦδος ἰαίνεται ἀπήμονος αἴσας
Χρυσαυγῶν τοῦ πατρὸς Φραγκῶν ἐνὶ δόγματι καλῷ.
Σοὶ δὲ Θεὸς νομικὸς δοίη δόμον ὠρθομέδοντος
Ἶσον ναιετάειν, ἕδραν τ' ἴσην Πίνδοιο.
Ἐνθαλαχὼν αἰῶνα θεήιον ἐσθλὲ θεμίστωρ,
Ὅρκων μὲν ταμίας εἴης μερόπεσσιν ἐλέγξας
Μακρόβιος Φραγκοῖς, νομοΐστωρ ἀκροδίκαιον.
Δή τότε πατρὶς ἔῃ ἁπαλόχροος, ὥστε θέαινα
Πότνια Φραγκείη, χρυσοῦ φάος, ἴδριν ἔχουσα
Λαοσεβῆ λαοῖσι βίον σοφίῃ τε νέμοντα.

EIVSDEM EXCELSI Nomophylacis Elogium Heroicum, è Græco Carm. G. Soffij expreſſum, à Nic. Morello FEDERICI F. Interp. R.

EXimio eloquio Francorum nobile regnum,
Suauibus è legũ modulis moderaris amicam
Vrbem numini, amans mores, vitámque decoram
Maiorum, laus cùm floreret ſorte benigna,
Clarorum quondam Gallorum mentis honoræ.
At tibi Legiferum numen tribuat colere ædes
Oromedontéas, & teƐta æqualia Pindo:
Détque ibi diuinum, Themidis, pie cultor, habere
Æuum, iuriſiurandi Quæſitor honeſti,
Longæuus Francis Iuris moderator & æqui:
Fortunata mihi Patria, hocce decore potita
Aurea lux cuius, veneranda ô Gallia, magno
Hoc Duce, qui populis bona dat cultumq́, decuſq́.

IN ERVDITISSIMI
TETRABIBLI HISTORICI
Auctorem,

FED. MORELLI PROF. REG.
Senarij Iambici.

SOssi, *dum honoratum reponis* ERRICVM,
Quatérque Magnum Conſilio & armis ſimul,
Tu Cæſari, omne Cæſaris ius exhibes:
At congruunt quæ Numini, aßignas Deo,
Hinc SOSSIVS, *verâ à ſalute diceris,*
Aut Regiæ hiſtoriæ à tuendis floribus.

Priuilege du Roy.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos aimez, & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Rouen, Tholoſe, Bordeaux, Dijon, Grenoble, Prouence, & Bretaigne, Preuoſt de Paris, Seneſchal de Lyon, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iuges, & Officiers, ainſi qu'il appartiendra Salut. Noſtre bien aimé Pierre Cheualier Libraire iuré en noſtre Vniuerſité de Paris, nous a humblement remonſtré qu'il auroit recouuert vn liure intitulé, *Guillelmi Soſij libri tres de vita Henrici Magni ad D.D. Brulartium, &c.* lequel liure il deſiroit imprimer ou faire imprimer, & expoſer en vente : mais il craint que l'ayant imprimé & expoſé en public, quelques autres Libraires, & Imprimeurs le vueillent ſemblablement imprimer ou ſuſciter les eſtrangers à ce faire, ce qui luy feroit ſouffrir perte & dommage, ayant ja fait de grands fraiz, & autres qu'il luy conuiendra faire en l'impreſſion dudit liure, s'il ne luy eſt ſur ce pourueu de nos Lettres de Priuilege, humblement requerant icelles. Novs pour ces cauſes deſirans gratifier ledit Cheualier, & luy donner moyen de ſe faire rembourſer de ſes frais, & le faire reſſentir des fruicts qu'il eſpere dudit liure, luy auons de nos graces, pleine puiſſance, & authorité Royale, permis & accordé, permettons & accordons par ces preſentes qu'il puiſſe imprimer ou faire imprimer ledit liure tant de fois, & en tel volume & Caractere que bon luy ſemblera, & iceluy expoſer en vente, durant le temps & eſpace de ſix ans finis & accomplis, à

compter du iour & datte que ledit liure ſera acheué d'imprimer, à la charge d'en mettre deux exemplaires en noſtre bibliotheque gardee au Conuent des Cordeliers de ceſte ville de Paris, & à faute de ce faire, ſera deſcheu du preſent Priuilege, & faiſons tres-expreſſes inhibitions & deffenſes à tous autres Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes de quelque condition qu'ils ſoient, d'imprimer, ny contrefaire ledit liure, à peine de mille liures d'amende, applicables moitié à nous, l'autre moitié audit ſuppliant, confiſcation des exemplaires, & de tous deſpens, dommages & intereſts enuers luy. Si donnons mandement à vn chacun de vous endroit ſoy, que du contenu au preſent Priuilege, vous faſſiez & laiſſiez iouyr ledit expoſant paiſiblement, ſans permettre qu'il luy ſoit fait aucun trouble ny empeſchement. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire tous exploicts neceſſaires pour l'entretien des preſentes, ſans pour ce demander *viſa*, ne *pareatis*. Et pour ce que de ces preſentes ledit expoſant pourroit auoir affaire en pluſieurs & diuers lieux, voulons que mettant vn bref extraict d'icelle au commencement ou à la fin dudit Liure, foy ſoit adiouſtee comme au preſent original: car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques Chartes Normandes, priſes à partie, & toutes autres lettres à ce contraires, pour leſquelles, & ſans preiudice deſquelles, ne voulons eſtre differé. Donné à Paris le 1. iour de Mars, l'an de grace 1622. & de noſtre regne le douzieſme.

Signé, *Par le Roy en ſon Conſeil.*

Et plus bas, RENOVARD.

Seellé du grand Sceau de cire jaune ſur ſimple queuë.

COMMISSA ET OMISSA,
ſic vtique emendanda.

Pag. 16. b. l. 9. leg. *directi ad.*
pag. 19. a. li. 9. cor. *nouarum.*
pag. 24. b. li. vlt. ſcrib. ſtrictus enſ.
pa. 65. b. li. antep. *quærit Phaeth.*
pa. 92. a. li. 5. *ambiens obſeſſos,*
pa. 93. b. li. 17. repone, *inſilientium ord.*
pa. 94. a. li. 11. leg. Hiſpanus c.

GVLIELMI SOSSI DE HENRICI MAGNI VITA.

LIBER PRIMVS.

HENRICI Magni pueritiam erudiuit inſigne Caroli regis exemplum, cui labor inexhauſtus ferarúmque exuuiæ, ludus erant. Vidit puer Henricus Carolum, equi vngulam inter iocos manu propriâ munire, & armare ferro: vt Ateas Scythici ſoli dominus manu ſuâ ſtrigilim admouit

equo, regiéque pexo lætiùs inſiliit. Carolus in venatu locum Henrico diffiniens, curſúmque deſcribens:
„ Experiar ingenium tuum comes, &
„ crudâ te indole ad virtutem exer-
„ cebo : hîc ſta, iam curre, vel ſic
„ transfige prædam. Platonis ſoluit controuerſiam diſputantis an ſit virtutis doctrina: diſciplinam enim tanti eſſe boni compertum è puero, qui cùm diſceret oſtendebat, parum eſſe diſcriminis imperantem regem inter & futurum. Sed hæc Caroli doctrina caſtigauit ſeueriùs, & exacuit Henricum, quòd coætaneus docentis fuit ipſe qui docebatur, ſolo quadriennio minor.

Non ſolùm tradita Henrico exẽpli regij irritamentis, ſed puero ingenerata ſunt ſublimis naturæ bona, & antiquo ſanguini diffuſa in ipſum per auos tranſiêre. Borbonia

etenim gens fluit è fonte regij ſanguinis, ille in cœlo ſcaturit, & cœlo Pij Ludouici recepta mens. gens non ſolùm orta regibus, ſed ipſis optata affinitatis nexu: Ioannes Borboniæ Dux vxorem habuit Ioannam Francam: Petrus claruit Annæ Francæ coniugio. non ſolùm Palatinis, ſed militaribus officiis ſpectata, ſocium abundantiæ torporem expulit: Iacobus, Ioannes, & Carolus, fulſêre Comites ſtabuli principalis. gens illuſtris victoriis, aut inter prælia nobili nece fugit ignominiam ſalutis quæſitæ fugâ: Gilbertus Italicâ expeditione in Baianis caſtris contagione languens, monetur petere loca ſalubria: Du-«cem, inquit, oportet mori in caſtris. «Carolus Romani muri ruinis pro Cæſare victor inſternitur: malignè actum ſed militariter. Ioannem ca-

lamitoſus Sācti Laurētij dies rapuit, prælio ad Fanum Quintini. Franciſcus Hiſpanos afflixit Ceriſolenſi clade. Antonius Borbonius Vindocinenſis Nauarrus Henrici pater, ſub obſeſſâ Rotomago ſclopeti plumbo perforatur. Ludouicus in campis Iarnaciis pugnans capitur, captiuus mactatur, ferente Marte non bellicæ & inſolitæ cædis contumeliam, ſanguine etenim illo erubuit. Henrici origo tota bellatrix, properánſque mori.

Hæc per ardua exempla virtutis veræ facies, inſons & ignara vanitatis: nam per tot egregias laudes, Borboniorum Vindocinæ Comitum Dux nominatus ante Carolum Antonij patrem auumque Henrici nullus; in ſanguinis maieſtate tulêre viri congenitos non adſcriptos inſaniâ titulos. indè virtutes Henrico

non à diſciplinâ ſolùm,ſed à genere.

Sed à cunis ipſis. natus eſt Benearnenſi ſolo, locis aſperis, in auito caſtello prædij Coraſij, ſugens lac bellicum & Martium. gens enim Benearnia cita pede, & enſibus habilis,& laboribus aſſueta,colit agros non ſteriles, ſed in limite Franciæ, montano ſitu: inde exulant deliciæ illæ quas noſcimus vagari per interiorem Galliam.

Eadem Henrici pueritia bellicam peritiam comparauit in bellis: traducta per exercitus vidit arma antequam tractare poſſet, diſciplinam magis quàm Martis aleam ſecuta. tenerum enim principem regebāt, nec inconſultò damnis expoſuère nobilis famæ duces, Vaſpares, & Franciſcus Colinij, Mongomerius, Lanôes. demùm adoleſcens enſibus & funeri ſe immiſcuit. celebre rudi-

menti dedit experimentum, quandò aſper primùm digladiatus eſt in campis Sequanorum Renatoducæis; vbi tyronem perduxerunt in aciem, Vaſpares, Ludouicus & hic Belga, Mongomerius, & Bricmaldes. miſſus eſt in prælia pari ſorte laudis & periculi: quippe non ignari rudeſque belli duces Catholici repugnabant, Coſſas, Stroſſa, Lauaaletes, Caſtræus, æmulatione offenſis, pietate accenſis animis. è Santonibus per Vaſcones, Cadurcos, Toloſates: properat Hugonotus ſtricto gladio: conuerſà fronte remeat per medias Franciæ prouincias. inde labitur in Sequanos, iactatque ſi eundo peruenit, velle vrbis Regiæ mœnibus & tecto Luparinæ domus tædas ſuperijcere: eſt inter ſocios iuuenis Henricus non tàm vitæ quàm laudis prouidus, &

condere meditans vitæ ſuperſtes imperium. obſtat Coſſas cum fidis ſociis: mucrone via obſtruitur, & quæritur. poſt acria diſcrimina, ceſſat præliari Coſſas cedens Henrico viam, non diſſipatus aut fuſus, ſed inſigni iacturâ nobilium tingens tyronis gladium. & Henricus tyro ad Tricaſſinum vſque agrum penetrat, etiam vltra Caſtilonium, quod eſt prædium & origo Coliniorum.

Hâc expeditione, dux tametſi Hugonotæ factionis dicitur, maieſtatis hic titulus fuit non curæ: regimen bellorum penes Vaſparis Colinij peritiam manebat. poſt præcipitatum Vaſparem Colinium cœpit ducere, vim manus oſtendens in raris manipulis, virtutiſque numerum in mediocribus caſtris. totis bellis viginti quinque militum millia bis ſuccenturiauit: exceſſit hunc

numerum ſemel apud Ambianos; duodecim aut quindecim mille creber & alacer illi exercitus· quatuor ſemel rexit myriades, ſed aliena caſtra, quæ vt Legatus Valeſij circum Lutetiam adminiſtrauit. duces in Aquitanis olim reprimentem ſecutæ Hugonotum ſubitariæ turmę, quadringenti ſæpe equites cataphracti, ſclopigeri item ex equis velitantes non bis mille, rarus pedes, nec integra illi myrias apud Cultraſſas. certauit induſtria perita animos potiùs conglobare quàm ordines. auſus eò acriùs Henricus cum paucis, quod mortis impauidus probè ſciret, nil plùs quàm mortem à virtute dari.

At memorare quicquid in. Vaſconibus & Aquitanis aduerſus Mayennæum, Bironium patrem, ſeptemque alios duces quadriennio

belligerauit, leue aſſerit ipſe ſcripto: annalium eſt quę ſingula examinãt. regentis ergò ducentiſque prima claritudo fuit per annum Cultraſſinum.

Quando Fontanum-Comitis in Pictoniâ oppidum nundinatione frequens, duodecim oppugnauit tormentis, deditioné cepit Albaníque nominis militem qui loci præſidio deſtinatus prementi Henrico ceſſit. rumor erat inter plures eâ ætate, ſpecie infeſtandi Hugonotos, belligerari aduerſus familiam Borbonicam: & prætextu religionis regios hęredes offendi, quia proximus regis hæres Nauarrus Hugonoti dux erat agminis. rumor ille ſeu verus ſeu falſus, non eſt huius loci lucubrare. verùm indignantur Contídes & Sueſſió Borbonij principes Catholici, Condâtem fratrem

exercitus reliquias diſturbat: ipſe Ioyoſa Lutetiam abierat. Ligerim ſubigit, tranátque, ſtructo in ripâ ſubitario munimento non procùl à Monte Sotaco ad tutelam ſecuri reditus. ôſculatus Sueſſionem, redit abundans ſocio: iterùm traiecto fluuio, inuitat ex itinere fœderatos, volans ad horrendas infameſque Cultraſſas, & eò ſe Lutetiâ rediens Ioyóſa tulit renouato exercitu, prioris expeditionis euentu fiſus non inglório. ibi triſtis breuíſque hora plus aboleuit procerum, quàm anni triginta per ciuicas ſtrages cunctas abſumpſerant. cęteris pręliis communia fuere damna plebi nobilíque. fluxit Cultraſſis Comitum ſolus Baronúmque ſanguis.

Victoriam non imbelli lanceâ, ſed gladio, cominùs nocente dextrâ obtinuit: è veteri Colinij præ-

cepto: fuit Henrico vtiliſſimus hic armorum vſus. equitem in quinque cuneos diſtribuit. celeres in cornu altero: grauis armatura enſe nitens quadrifariam diſtributa. à fronte trium cataphractorum agminum ſplendent Borbonij tres; Nauarrus, Condas, Sueſſio, & fuere priores illi Henrici duo: quartum agebat cuneum Henricus Laturius: vide turmatim Henricos. à latere totius equitis, in ſecreto ſæuiſſimus ſclopiger, ita concedente ſitu loci. in media arma, in enſes rapit ſe lanceatus Ioyoſa, loriças fruſtrà verberás: excepit enim cultellis lanceas vetus Henrici miles, & abſcidit. referunt Catholicæ dexteræ fragmenta telorum, & quas Henricus impiger amouit cuſpides ineptè requirunt. aceruis lancearum turget planities. dum ſurgens à latere impręuiſus in-

GVLIELMI SOSSI
DE
HENRICI MAGNI
VITA.
LIBER PRIMVS.

HENRICI Magni pueritiam erudiuit inſigne Caroli regis exemplum, cui labor inexhauſtus ferarúmque exuuiæ, ludus erant. Vidit puer Henricus Carolum, equi vngulam inter iocos manu propriâ munire, & armare ferro: vt Ateas Scythici ſoli dominus manu ſuâ ſtrigilim admouit

equo, regiéque pexo lætiùs inſiliit. Carolus in venatu locum Henrico diffiniens, curſúmque deſcribens:
„ Experiar ingenium tuum comes, &
„ crudâ te indole ad virtutem exer-
„ cebo : hîc ſta, iam curre, vel ſic
„ transfige prædam. Platonis ſoluit controuerſiam diſputantis an ſit virtutis doctrina: diſciplinam enim tanti eſſe boni compertum è puero, qui cùm diſceret oſtendebat, parum eſſe diſcriminis imperantem regem inter & futurum. Sed hæc Caroli doctrina caſtigauit ſeueriùs, & exacuit Henricum, quòd coætaneus docentis fuit ipſe qui docebatur, ſolo quadriennio minor.

Non ſolùm tradita Henrico exẽpli regij irritamentis, ſed puero ingenerata ſunt ſublimis naturæ bona, & antiquo ſanguini diffuſa in ipſum per auos tranſiêre. Borbonia

etenim gens fluit è fonte regij ſanguinis, ille in cœlo ſcaturit, & cœlo Pij Ludouici recepta mens. gens non ſolùm orta regibus, ſed ipſis optata affinitatis nexu: Ioannes Borboniæ Dux vxorem habuit Ioannam Francam: Petrus claruit Annæ Francæ coniugio. non ſolùm Palatinis, ſed militaribus officiis ſpectata, ſocium abundantiæ torporem expulit: Iacobus, Ioannes, & Carolus, fulſêre Comites ſtabuli principalis. gens illuſtris victoriis, aut inter prælia nobili nece fugit ignominiam ſalutis quæſitæ fugâ: Gilbertus Italicâ expeditione in Baianis caſtris contagione languens, monetur petere loca ſalubria: Du-
« cem, inquit, oportet mori in caſtris.
« Carolus Romani muri ruinis pro Cæſare victor inſternitur: malignè actum ſed militariter. Ioannem ca-

lamitoſus Sācti Laurētij dies rapuit, prælio ad Fanum Quintini. Franciſcus Hiſpanos afflixit Ceriſolenſi clade. Antonius Borbonius Vindocinenſis Nauarrus Henrici pater, ſub obſeſſā Rotomago ſclopeti plumbo perforatur. Ludouicus in campis Iarnaciis pugnans capitur, captiuus mactatur, ferente Marte non bellicæ & inſolitæ cædis contumeliam, ſanguine etenim illo erubuit. Henrici origo tota bellatrix, properánſque mori.

Hæc per ardua exempla virtutis veræ facies, inſons & ignara vanitatis: nam per tot egregias laudes, Borboniorum Vindocinæ Comitum Dux nominatus ante Carolum Antonij patrem auumque Henrici nullus; in ſanguinis maieſtate tulêre viri congenitos non adſcriptos inſaniâ titulos. indè virtutes Henrico

non à diſciplinâ ſolùm, ſed à genere.

Sed à cunis ipſis. natus eſt Benearnenſi ſolo, locis aſperis, in auito caſtello prædij Coraſij, ſugens lac bellicum & Martium. gens enim Benearnia cita pede, & enſibus habilis, & laboribus aſſueta, colit agros non ſteriles, ſed in limite Franciæ, montano ſitu: inde exulant deliciæ illæ quas noſcimus vagari per interiorem Galliam.

Eadem Henrici pueritia bellicam peritiam comparauit in bellis: traducta per exercitus vidit arma antequam tractare poſſet, diſciplinam magis quàm Martis aleam ſecuta. tenerum enim principem regebãt, nec inconſultò damnis expoſuêre nobilis famæ duces, Vaſpares, & Franciſcus Colinij, Mongomerius, Lanôes. demùm adoleſcens enſibus & funeri ſe immiſcuit. celebre rudi-

menti dedit experimentum, quandò aſper primùm digladiatus eſt in campis Sequanorum Renatoducæis; vbi tyronem perduxerunt in aciem, Vaſpares, Ludouicus & hic Belga, Mongomerius, & Bricmaldes. miſſus eſt in prælia pari ſorte laudis & periculi: quippe non ignari rudeſque belli duces Catholici repugnabant, Coſſas, Stroſſa, Laualetes, Caſtræus, æmulatione offenſis, pietate accenſis animis. è Santonibus per Vaſcones, Cadurcos, Toloſates: properat Hugonotus ſtricto gladio: conuerſâ fronte remeat per medias Franciæ prouincias. inde labitur in Sequanos, iactatque ſi eundo peruenit, velle vrbis Regiæ mœnibus & tecto Luparinæ domus tædas ſuperijcere: eſt inter ſocios iuuenis Henricus non tàm vitæ quàm laudis prouidus, &

condere meditans vitæ ſuperſtes imperium. obſtat Coſſas cum fidis ſociis: mucrone via obſtruitur, & quæritur. poſt acria diſcrimina, ceſſat præliari Coſſas cedens Henrico viam, non diſſipatus aut fuſus, ſed inſigni iacturâ nobilium tingens tyronis gladium. & Henricus tyro ad Tricaſſinum vſque agrum penetrat, etiam vltra Caſtilonium, quod eſt prædium & origo Coliniorum.

Hâc expeditione, dux tametſi Hugonotæ factionis dicitur, maieſtatis hic titulus fuit non curæ: regimen bellorum penes Vaſparis Colinij peritiam manebat. poſt præcipitatum Vaſparem Colinium cœpit ducere, vim manus oſtendens in raris manipulis, virtutiſque numerum in mediocribus caſtris. totis bellis viginti quinque militum millia bis ſuccenturiauit: exceſſit hunc

numerum ſemel apud Ambianos: duodecim aut quindecim mille creber & alacer illi exercitus · quatuor ſemel rexit myriades, ſed aliena caſtra, quæ vt Legatus Valeſij circum Lutetiam adminiſtrauit. duces in Aquitanis olim reprimentem ſecutæ Hugonotum ſubitariæ turmę, quadringenti ſæpe equites cataphracti, ſclopigeri item ex equis velitantes non bis mille, rarus pedes, nec integra illi myrias apud Cultraſſas. certauit induſtria perita animos potiùs conglobare quàm ordines. auſus eò acriùs Henricus cum paucis, quod mortis impauidus probè ſciret, nil plùs quàm mortem à virtute dari.

At memorare quicquid in. Vaſconibus & Aquitanis aduerſus Mayennæum, Bironium patrem, ſeptemque alios duces quadriennio

belligerauit, leue aſſerit ipſe ſcripto: annalium eſt quę ſingula examinãt. regentis ergò ducentiſque prima claritudo fuit per annum Cultraſſinum.

Quando Fontanum-Comitis in Pictoniâ oppidum nundinatione frequens, duodecim oppugnauit tormentis, deditioné cepit Albaníque nominis militem qui loci præſidio deſtinatus prementi Henrico ceſſit. rumor erat inter plures eâ ætate, ſpecie infeſtandi Hugonotos, belligerari aduerſus familiam Borbonicam: & prætextu religionis regios hęredes offendi, quia proximus regis hæres Nauarrus Hugonoti dux erat agminis. rumor ille ſeu verus ſeu falſus, non eſt huius loci lucubrare. verùm indignantur Contídes & Sueſſió Borbonij principes Catholici, Condâtem fratrem

etſi Hugonotum mille bellorum obſideri periculis. tunc enim trium robuſtiſſimorum ferociũque exercituum pondera, voluebantur Hugonotorum obtritura caput : queis Hugonoti reſiſtebant duobus muniti exercitibus, Alamannico , & Aquitanico. igitur in Hugonotica ambo ſe ferunt caſtra illi principes. ſolus reſtat Monpenſerius Valeſij regis comes : etſi comes, Borboniorum tamen ſuorum nó oblitus, ſed amans. Monpenſerium ſolum adfuiſſe Valeſio dixi : nam Carolus Borbonius, vt ſacerdos , inermis erat. nullâ vnquam horâ apud Frãcos viſum eſt quicquam ſimile, deſertos regio ſanguine Catholicos: militare in hugonoticis caſtris Auguſtæ ſacræque domus viros quatuor,nec quatuor hugonotos. iſtud accidit quandò aut priuata inſilen-

tium odia publico iure prætexũtur: aut quando priuatæ defendentium iniuriæ, publicâ etiam iniuriâ vindicantur. Contídes horribilibus ſe miſcet Alamannis: Sueſſio diuerſâ in Auſtrum parte tendit ad Nauarrum, Condatémque. ita accitis è proximo Lutetiani ſoli nobilibus quibuſdam alis, pergebat clandeſtino in Aquitanos itinere. tumebat altus Ligeris iratus tam alieno Catholici & Hugonoti fœdere, negans traiectum, & vndæ clamoſus plus ſolito. peribit Sueſſio, ſi hugonotam ſocietatem audere diuulgatur: protinùs ab omni Celtâ opprimetur: nec militis odia vitabit, aut fluuij.

Henricus periculi & negotij ſecretò monitus, fatigat Pictauos, Andegauos, Turoneſque. ex itinere aliquot equitum ſigna & Ioyoſici

exercitus reliquias diſturbat: ipſe Ioyoſa Lutetiam abierat. Ligerim ſubigit, tranátque, ſtructo in ripâ ſubitario munimento non procùl à Monte Sotaco ad tutelam ſecuri reditus. oſculatus Sueſſionem, redit abundans ſocio: iterùm traiecto fluuio, inuitat ex itinere fœderatos, volans ad horrendas infameſque Cultraſſas, & eò ſe Lutetiâ rediens Ioyóſa tulit renouato exercitu, prioris expeditionis euentu fiſus non inglório. ibi triſtis breuíſque hora plus aboleuit procerum, quàm anni triginta per ciuicas ſtrages cunctas abſumpſerant. cęteris pręliis communia fuere damna plebi nobilíque. fluxit Cultraſſis Comitum ſolus Baronúmque ſanguis.

Victoriam non imbelli lanceâ, ſed gladio, cominùs nocente dextrâ obtinuit: è veteri Colinij præ-

cepto: fuit Henrico vtiliſſimus hic armorum vſus. equitem in quinque cuneos diſtribuit. celeres in cornu altero: grauis armatura enſe nitens quadrifariam diſtributa. à fronte trium cataphractorum agminum ſplendent Borbonij tres; Nauarrus, Condas, Sueſſio, & fuere priores illi Henrici duo: quartum agebat cuneum Henricus Laturius: vide turmatim Henricos. à latere totius equitis, in ſecreto ſæuiſſimus ſcloppiger, ita concedente ſitu loci. in media arma, in enſes rapit ſe lanceatus Ioyoſa, loricas fruſtrà verberás: excepit enim cultellis lanceas vetus Henrici miles, & abſcidit. referunt Catholicæ dexteræ fragmenta telorum, & quas Henricus impiger amouit cuſpides ineptè requirunt. aceruis lancearum turget planities. dum ſurgens à latere impręuiſus in-

ſidiator, immiſericors ſcloppiger vomit funera, dùm à fronte gladiatur eques, cadunt ecce Bręſæus ſigniferorum princeps Gauuelo, Suza, Albijoxius, Comites nec minor Comitibus Baro Belogardius toti pręfectus Carentello. penetrauit ad Nauarrum inter digladiationem proxima ferocia Montinij pręfecti Portæ: in quem ad dextram Henrici à ſatellitibus iniecta manus: dùm non ludit Martem ante hoſtilia Nauarræi agminis principia, ſed ipſa perfringens ſcrutatur intrò aut victoriæ originem, aut laudandæ mortis. Ioyoſa vbi vidit eſſe moriendum, nam fugę duci illi non eſt animus, recedit ad tormenta: ibi inter inſtrumenta Martis Vulcano coràm occumbit, inſigni mortis notâ: ſternitur vnà frater, vt fortitudine ſic fato pari: cęduntur & alij pro-

ceres in funus ſociati. ſuperſtites diù fugiſſe certum eſt, & ſalutem per remota quæſiſſe ſpatia: nam ſecutus anhelus victor per decem paſſuum millia non potuit fugaces aſſequi. ex iis qui ſtragem euaſerunt, vidimus quatuor ſequentibus annis, quorum vnus electus Magiſter Machinæ, tres creati Franciæ Mareſcalli, & cuncti meritis ſuis. ſuſpicare quot proceres alij vitarint fatum, maioris etiam opulentiæ ſed non tàm fœlicis notæ: vt intelligas non quàm numeroſus, ſed quàm illuſtris exercitus, qui cæſus, qui captus, qui fuſus.

Virtuti nec ipſe hoſtis ingratus eſt, reddidit captiuo Montinio Henricus ereptum alæ ſignum: ademit hâc reſtitutione omnem ignominiam: ipſam etiam deleuit notá. Adeò inſigne eſt inter gratas "

» Principi cenſeri manubias. quiſquis
» militas, non ſolùm piè, prudenter
» certa: iuuenili conſilio ruit religio-
» ſa fortiſque cauſa. fama eſt viridi
bellatores ſenio, & verè præliares
duces, Ioyoſæ ſuaſiſſe differendum
prælium: nouitia nobilium adoleſcentia, Ioyoſæ ad gladios reclamauit: at quî renuiſſet ad claſſicum Ioyoſa, naturâ ſuâ pugnax, famæ flagrans, ſurduſque timori? inde labes.

Regalibus exequiis decoratus Lutetiæ Ioyoſa: hoc officium infœlix, ſed pium, & ſolis impiis munus inane peremptis. concipe generoſos ſubtileſque vincentis ſenſus. hoſtes proſternere fuit quidem fortis & ſtrenui Henrici: ſed captiuos inemptos, & gratuitò dimittere, fuit aſtuti cordatíque. non è iacturâ ingentis remiſſi æris micat viri prudentia,

ſed

ſed quòd per hoſtes miſerit & laxarit proceres ſibi deuotos. millia aureûm numûm ſpreuit ſexies centena; quæ poterat de vinctis ſuis exigere: at de vinculis bellicis, iecit in amatoria vincula viros incomparabiles, regno comparando inſtrumentum non debile. liberalis fuit è damnis hoſtilibus, bellóque parata prodigere in bellum facilis & in amicitias: nam vbi ad principatum acceſſit, non habuit fidiores aut peritiores ſocios captiuis ſuis: vt euidens eſt in Sanluce, & aliis.

Inſigne eſt, quandò integris viribus infeſtiores congreſſi ſunt exercitus, in campis Monconturiis, Druideſſæ, Sancti Dionyſij, Iarnaciis, Veræ, Alnetiis, profligatos Hugonotos, ſemel ex æquo diſtributa dãna. apud Rupabelam ſenſit vul-

nera Catholicus, verùm à certamine ſtetit denſus exercitus, victoríque Hugonoto fuit horror. fuſum vidêre Cultraſſæ, & diu funeſtam pugnã nobiliſſimæ Catholicæ viduæ plorant; quibus vltima poteſt eſſe fides lugere viros. Cur diuerſus rerũ exitus fuit Cultraſſis quàm locis cæteris? diſtingue ſortes, & caſus præcedentium certaminum à religionē partium. æſtima: Cultraſſas à perſona Principis militiam regentis, veri nec titulo tenùs ducis. ſuperioribus præliis fortunam ſuam non contribuit, quibus ducis non exercuit officia. oſtendit Deus mirâ victoriâ, velut ſtupendo quodam ſigno Principem cœlo deſtinari: plus enim miraculi fecit in deſtinato, quàm in ſuis.

Perſeuerauit ducere per cunctorum bellorum ſpatia: raró per Le-

gatos ſolitus debellare. has enim ſuſtinuit curas, & dux Hugonotæ vocis, & Legatus reconciliati Henrici Valeſij, & deinceps regni habenas tenens: ſolis vſus imperij militaris conſortibus Gontaldis Bironiis. patrem Bironium coluit bellicæ authorem ſapientiæ, verè vt ducem; filium vt militiæ partem, ſed dux erat iſte ducum.

E ducatus perſeuerantiâ, Ecce geſtum militaris quidem manus, ſed mentis perfectè bellicæ: ſi qui « dem ducis ſolertia eſt omnis in « vſurpandâ fauente horâ: & oſten- « dimus non ſolùm Henrici gladium, ſed ingenium. deſiderato Guiſio, Valeſium Regem diuulſêre factiones duæ: Hugonota, & Conſpirata. ambæ hoſtes regi, rex vtrique inimicus. ſic tres partes ſua quæque

procurare, inimicitias ſingula gere-re duplices : vnius partis ruinas indagare, & moliri alterius iacturas: nō pro vnâ certare victoriâ, ſpirare duas. conſpirata factio, quia illi ſcopus religio fuit, bellare contra Hugonotum è voto : contra regem, vt Guiſianæ cædis authorem, ex odio. rex opinatus conſpiratos altum regiumque ſapere, aduerſari ipſis indignatione altâ & veteri : verùm aſſuetudine Hugonotis inuehi. Henricus Hugonotorū princeps vtriuſque propulſare offenſas, & ſi poteſt vlciſci. imbecilla Henrici pars nuper potente rege : nunc perturbatis regiis viribus graſſari per diſcordiam: ſerpere dùm confligunt rex & conſpiratus : adoriri dubios, ferre ſpolia ex diuerſis, creſcere & gloriari in vtriuſque detrimentis. ſic vigil Henricus Niortum ſomnolentum

intercipere, Fanum Maxentij occupare, Lodunium, Mirabelum, Caſtheraldæum, & circa Biturigum fines Argentonium, plura inuadere celer, obruere inimicitias opportunè: Vigennæ Lariſque fluuiorum ripas ſubigere: & quia ſeruiunt ripæ, prouincias latè populari. formidantibus Pictauis, Biturigibus, Blæſis, Turonibus, oppida non temnenda domare: & contemptum factionis Hugonotæ vertere in terrorem. terribilior regi quàm conſpiratus.

Nam Valeſius anxiè viuebat Turonibus inter vtroſque hoſtes. ſed nondùm vires conſpiratus integras adunarat, nec dùm cum exercitu per regiones palabat, cùm diligentior Henricus totam Turonum viciniam affligeret: aut amicum habiturus Valeſium aut poſſeſſurus

ſubactum. in cuſpide ſpiculi ſummam rerum oſtentans, niſi amaretur, regem oppreſſurus. inter diſſidia publica lętior Henrico fortunæ vultus, quòd conſpiratus Valeſio eſſet implacabilis: nam dùm non accedit conſpiratus Valeſio, prouehit & roborat Hugonotum.

Igitur Valeſio cadendum, aut compeſcendus Hugonotus: at cóciliat Henricum Valeſio Engoliſmenſis Duciſſa, magnum per ſequentes ſeditiones concordiæ inſtrumentum. funeſta verò regem inter conſpiratoſque odia, diſſipabant animos, nó paſſa colligi. quod probè & ſubtiliter noſcens Hẽricus, gaudens inimicitiis ſpoliiſque, neceſſarium Valeſio aduerſus conſpiratos fœdus offert: ſcripto publicato apud cunctos Francûm populos locutus audacter,

Franci, deſignata eſt à conſpira- “
tis regni vſurpatio, ne hęres regni “
forem : inflammata patria, ne poſ- “
ſiderem. totius tamen incendij “
prętextus ſio apud impios, apud “
ignaros cauſa dicor, & me fateor in- “
ſontem, occaſionem eſſe lugubris “
caſus. deploro caſus, hos coactus “
molior, & plorando Deum fęci “
propitium. me protegit, ſternit “
hoſtes innocentiæ meæ, quam dum “
odêre mortales vanè Deo repu- “
gnent. adſpicite Franci quãtus ego, “
quales vos? diſcernite ex ira vel fa- “
uore cœli, quà miſerias veſtras & “
enormem Bellonam inimicos meos “
funerantem, quà ſoſpitem me inter “
tot Martia mala & debellatorem. “
opus hoc Dei Maximi. & quia ſic “
iubet pacificus ipſe Deus, efflagito “
pacẽ victor & ſupplex à rege meo, “
cuius fudi Duces, Duces decem, “

„ exercitus decem regis Chriſtianiſſi-
„ mi, quos eluſi, irriſi quadriennio.
„ verus hic fuſorum ducũ numerus,
„ vera fundentis ducis vox, non vt
„ militis vana, elephanto in India bra-
„ chium pugno perfregiſſe gloriãtis.
„ nec decem in victoriis cenſeo, ſi-
„ quidem vincuntur pugnaces: vnus
„ me Ioyoſa diſtinuit quem pręcipi-
„ taui, audiui cęteros & diſſipaui. pax
„ ergò in ore meo reſonat, quæſo an
„ ſeueræ metu caſtigationis? extra fla-
„ gella ſum, & ſupra pericula. conſpi-
„ ratus vtinam, cui crebra intentaui
„ mala: veniat exemplo meo in pios
„ pacis conſenſus! ſed rimatur diſ-
„ cordias: & nullam amoris ſpem eſ-
„ ſe credit vbi diuerſè creditur. vult
„ me confodere potiùs quàm errores
„ meos confutare: nec ſic fas agier.
„ contra Turcam. vnum Concilium,
„ non metus, non triginta ſpes coro-

narum mentem meam commutabit. intereà, Franci, vos appello ſingulos hoc ſcripto, quia dicentem audire me horruiſtis, exploſum cætibus, ad conuentus Blęſiacos non inuitatũ, reſponde Eques: ſi Monarchia ſubuertitur, quis ordo apud te, quis parebit imperiis quandò & ipſa diruis? quis te opprimenti Equiti Plebecula eripiet? tu Clere vbi viges, tributis decimarum exhauriris: vbi prçualeo, inuaduntur toti fructus, nec pendis decimas, quia deeſt vndè ſoluas. at finge reſtaurari rempublicam & vincere Valeſium: miſerior eſt Princeps debellatis rebellibus, ſi caſtigat vniuerſos. è contrà ſi vireſcit conſpiratus, otioſus ego? meorum torpebunt dexteræ? non offendam æmulos? poſtremò eſt extra tranquillitatem nulla ſalus: fac ergò impetrem amorem

» tuum Princeps! at impero vobis,
» conſpirati, allubeſcere ad quietem.
» protoſebaſtus ſum, à Rege impera-
» re meum eſt. ſubigant rebelles ani-
» mos ſuos ad pedes Principis, aut
» cunctos affligam, faciamque bello
» pacem. an triſtia vincla, an ſtrages
» Cultraſſarum non erudiunt com-
» ponere mentem?

Audax & militare ſcriptum ſpreuere conſpirati. attentior ad ſcripta Valeſius, quid faciat ærumnoſus? præ metu cautus, putanſque ſatius bellare, fatigari, mori cum ſocio, nec viuendum vt Timoni abſque amicitiis, paciſcitur cum Henrico. hoſtéque altero in amicum verſo minuit inſidias & moleſtiam, namque vnum formidat hoſtem.

Nec pacem dedit Valeſius gratuitò, qui libertatem accepit pro pretio. nam accurrens ex Aquitanis

Henricus Maieſtatem imminentibus paratiſque vinculis expediuit, quam intra Turonum portas auſus lancinare furens conſpiratus. ſicque ad Valeſium. Amplectere Princeps “
conſanguineum tuum: quem of- “
fendiſti bello, habe defenſorem: in “
me per religionis ſtudium contor- “
ſiſti ſpicula, hęc tamen in non reli- “
gioſo admiranda mea pietas domi- “
num texiſſe nocentem. ama obſe- “
quentem animum: patere iungi “
iuuantem dexteram: non commu- “
nia habemus ſacra, ſed communem “
Deum. vix pauci de millibus in “
obſequio manſere tuo: fides mea te “
regem, conſtantia me regis amicum “
facit: nec tacebit iſtud diſerta po- “
ſteritas. exteri regnum tenent, per- “
que limites imperij fugis ſubditos: “
non hoc regnum ſolus amittes, im- “
perium tuum annoſque meos finiet “

» vna dies: aut ſi non morior, viuet
» in me tua maieſtas. nec ſupra reges
» quiſquam regnaturus.

Habebat hos ſermones in hortis Pleſſęæ domus, quæ eſt ſummæ raræque deliciæ ſuburbanum: inſinuabatur ſtrictiſſimis Valeſij amplexibus. & certè tantâ denſitate, effundens ſe ad regium ſpectaculum populus conceptum hortorum ſtipauerat, regeſque circumſederat, vt viderent ſe Principes, tenderent dexteras nec iungerent. poſt aliquot momenta temporis, populi ardorem vicit reuerentia: datóque ad alloquia & ad oſcula regia loco, geſtientis frequentiæ quatiebat cœlum plauſus. ſurgebat conſonus clamor. *Viuant Reges, viue Rex, & tu Nauarre viue.*

Poſt aliquot dies, abſente Henrico, Valeſius deambulationis ſubur-

banæ ſpatiis animum oblectaturus vix vrbe exierat, & vndique exclamatur: *Ecce colligatos; vrgent armati; ô ciues ſeruate Regem!* protinus audaciores ad arma inuolare. hoſtis ſe colligatus adúſque pontem Turonum proripuerat. intentat enſes, vibrat haſtas, fulgurat ſclopetis flammeus & infenſus cuneus. à tergo militum viginti millia, compoſitus ad furias exercitus: maxima tot cohortibus rector fiducia Mayennæus adeſt, concitor memorabilis auſus. propè captiuitate aberat Valeſius; proxima caſui Maieſtas. geſtat pons certamina, & arctiore arenâ pręliantur acriùs milites. dubiè libratur fortuna progreſſu, receſſu, fluitante per pericula Marte, incertâ vbi diſrumpatur procellâ, aut quandò in ęquor euaneſcat. veſpera tandem

imperauit inducias obſtinatis pugnis. luce poſterâ Mayennæus, vt primùm nocturnæ quieti reuulſus eſt, accingitur redintegrare prælia. ſed intentiore oculo notat in proximarum inſularum ripâ cohortes: & ex ſplendicantibus paludamentis, clareſcentibus ſignis, faſciiſque albicantibus, Henrici fatetur milites. videt in gladiis meditantes vindicare ſalutem Valeſij: nec opperiens auxiliarium iſtorum impetum, qui ad famam certaminis noctu ſuppetiatum aduolarant, maturatæ ſe regreſſioni ſtatim committit. copiarum Henrici conſpectus dedit Valeſio præliis abſque libertatem. hâc in calamitate Valeſij multùm claruit non ingratus Dux Spernonnius, magnanimè iuuans authorem ſuum.

Inde aduerſa cuncta ſecutus Hen-

ricus & protegens, obtinuit demùm iudicio Valeſij vltimo hęres inſtitui: meruit hoc amoris pignus commilitio. ſed à naturâ acceperat rerũ primitias, annuente cœlo, & per certiſſima prę ſagia imperiis deſignante. apud Borbonios populos, vt citant hiſtoriæ, in ſacello Ducum gentilitio, vitra feneſtris prætenſa inſigni trium liliorum affulgent: ſed radio ſeu ſceptro lilia interpingente, nam integra geſtat in emblemate ſolus Francorum Princeps, inciſa conſanguinei. paulò antequam Valeſius interimitur, fulmine radius de figura eripitur intactis liliis. tradidit numen conſanguineo Valeſij, inſignia poteſtatis, fecítque regni emblemata quæ gentis erant. ſic quem mortalium damnabant ſententiæ, quem hoſtilia caſtra repellebant, cœleſtia ſigna na-

tum oſtenderunt imperiis.

Fauebant prę́ſagia iuri naturæ: natura verò Henricum non ſine labore ſinuoſi itineris traduxit ad imperium, & per ambitum. venêre etenim Borbonij, Vindocinenſes per ſecundò genitos ad principatũ, etiam per ſecundò genitorum minores natu: non rectâ viâ directi ad apicem, verùm circuitu rerum verticem inuoluentes: ſic Vindocinenſes fluunt ab Ludouico Iacobi nepote ſecundò genito. Iacobus verò filius iunior cenſetur Ludouici Ducis Borboniæ, & hic Ludouicus abnepos fuit Roberti, nec fuit Robertus Diui Ludouici primogenitus. tantâ Dei prouidentiâ, Vindocinenſes de cœlo per inferiores tertiáſque ſtirpes, velut cliuo ad Franci regni faſtigia deſcendêre: inopina bona aſſeruat ætas, defértque.

Iam

Iam Henricus Borbonius Vindocinenſis Nauarrus incipit nominari Francorũ Princeps. qui totum Henricum ſummatim narrare volet, citò dixerit: tercentum vrbes captas, aut obſidione liberatas: ter centies certamine tactos vel fractos hoſtes: tribus profligatos memorandis præliis. Viciſſe apud Cultraſſas triſtè & fauſtè: apud Arquas periculosè & deſperanter: apud Ibericum ſuperbè & ſtrenuè. Certaſſe acriter apud Fontem Francum in Sequanis & prodigiosè. Non quod fecit Cæſar, octingentas vrbes Galliis ſubactis vi expugnaſse: nec idcircò Cæſare minorem eſſe, qui trecentis debellatis, aut protectis poſſedit vniuerſas. Superiorem eſſe Cæſare, qui non decennio vt ille, ſed quinquennio Gallias debellauit. Maiorem eſſe iterum, nec exemplo Cęſaris tranſiſſe in Italiam;

vt domaret Italos: transfretaſſe in Iberiam, vt Iberos ſubiugaret: non diuiſos hoſtes conſternaſſe, ſed ſolidas Italorum Iberúmque vires vnà protriuiſſe. Nec diſtincto tempore quod fecit Cæſar, ſed iiſdem præliis fregiſſe cunctorum exercitus. Patraſſe tam ardua & excelſa, vt non ſolùm diceretur, ſed eſſet Francorum Princeps.

Quid enim profuerat, aut naſci imperio, aut teſtamento Valeſij hæredem inſtitui, niſi Principem feciſſet exercitus? prorſus mos veterum populorum, non ſuffragiis, verùm impoſitos ſcuto, & ſuſtinentium humeris vibratos duces diligere. Proclamauit exercitus Principem, non fecit. Fecit Principem ipſius magnanimitas. Quippe hæreditatis regnique controuerſiam, aduerſariorum contumacia traxit in ambiguū:

& quicquid enunciaſſet exercitus arma negarunt contraria: ſed poſſeſſionem enſis interdicto iuuit adipiſci, vel tueri.

Sic per Henrici pueritiam, diſciplinam, tyrocinium, per militarem genium, ſpeciem œconomiæ bellicæ, ducatus initia, per fœlicia præſagia principatus, hæreditatis ſortem & meritum, ſenſim ad conſpirationis bellum, vexit me temporum, rerumque ſeries. Opus acre, vndans rebus, facinoribus, & conſiliis. Bellum anceps, glorioſum, moleſtum, toto orbe idcircò celebre, non ſolùm cunctos Chriſtianæ, ſed ipſos Turcas variâ opinione librás, quòd eo bello excuſſus Mars à toris ſummis, ſolitus quâuis aliâ in arenâ ludere, propè ſuccubuit in iſtâ. Totius fortunę Principalis liber: metùs gentium, earundem hilaritas: terreſtris

ſtatus cardo: res niſi eloquenti Herodoto, aut Thucydidi, qui doctâ breuitate placet nulli pertractanda: ideoque per bellicæ aleæ, per virtutis regiæ compendia præſtat tranſcurrere, quàm ſingula enarrare.

Perforato & trucidato Valeſio, acceſſere forinſecùs arma ciuili bello. Et Iberi, & Itali, & Belgæ, & Burgundi, & Germani conuenerunt: quarum gentium aliæ ferro valent, aliæ dolo: & Alpicola Sabaudus: & vicinus Lotaringus: cognatus vterque, oblitus linguæ ſanguiniſque: Parmenſis & Mansfeldius, Iberica ſectantes ſtipendia. Crebros Heluetios illecebrę vicere mercèdis, aſpernari egeſtatem regij & antiqui amoris: namque erat Philippus Iberiæ Princeps, mercandi dextras largus. Pontificem accendebant pietatis flammæ: infeſti ciuis inſania

repugnauit capeſcenti rempublicam Principi. Hic numerus hoſtium: nec mens erat vlla, ſine irâ. diuerſa ſtudia è fortuna mortalium. Principes quoſdam præcipitauit regni ambitio. Hic cupere totam inuadere Franciam, ille partiri tantùm. Ex equite & plebe, obæratos rerum uouarum cupido, bellicoſos ſpolia, perditos latrocinium; optimos religio, ſed paucos, ne regnet Hugonotus. Commoda malis hæc ſpecies, bonis ſtimulus. Nonnullos nec merces, nec odia, nec pietas excitare, ſed temporis iniquitas mouere, vrgere, trahere. Omni genti vnus Henricus & ſpes prædæ, & hoſtis erat. Quantus horror è longinquo concrepantis æris ferrique? quantus in acie collidentis? populi quos æquora, montiumque æterni limites diuiſerant, coierunt adunati: noua ſecta,

ferox genus hominum, enorme corpus, quod dicebatur, Colligati.

Neruus huius corporis, aurum ex Indo Tagoque: nec mirare diuitem fuiſſe factionem conſpiratam: dimidium Hydræ caput aureum fuiſſe, author eſt Ariſtonicus Tarentinus. Solida compages, & tori hui9 corporis, maximarum Franciæ vrbium coniuratio. Mens verò & intellectus, Theologi publicè de pulpitis, apud populos perorantes, ſpe cœleſtis vitæ, ſi Henrico Hugonoto rebellent: de metu Dæmonum & atræ ſtygis, ſi pro eo belligerent. Manent in annalibus virûm nomina, & quorundam ſupplicia. Iuſtiſſima & religioſa cauſa, nullis vnquam locis peracta eſt & deciſa, tantâ perfidiâ inter ciues, ſacrilegiis, ſtupris, rapinis. Iſta ſi annales exſcribunt, triſte & horrens quiduis, verſantur

in ſuo, citant diligenter. Mea ſcriptio formidat infame.

Princeps prauis boniſque terror, aut amor: tantos hoſtes ſolo adiutus fido ciue diſpulit: aliquo Heluetio aſſequente cui manſit integritas, paucis adequitantibus Germanorum alis. Britannus miles aliquando auxiliaris adſtitit. Non perpetua hæc auxilia, nec ampla: quia populis illis res Franca curæ fuit, vt aliena: & apud Poëtam remotior eſt quàm genu tibia. Rebus noſtris præcipuum à paupertate detrimentum: nam quia totus Pluto incarceratur in vrbibus, Henricus inops cùi rebelles ditiſſimæ & nummatæ ciuitates. Sed aſperrimi totius Martis ſemper præſens vigor, & firmitas, Francus equeſter ordo creberrimus, queis viribus ſubuerſæ inimicitiæ. Quamquam ordinis pars ſeceſſit

in factionem, potior apud Principem. Propriis Eques militabat ſumptibus: ſicut ingreſſo Cæſari ciuile bellum, centuriones cuiuſque legionis ſingulos equites, è viatico ſuo obtulerunt. Vnde quia non neceſſaria equeſtribus ſtipendiis pecunia, vides inopem Henricum æqualem locupleti: adeò abundant cuncta cui non deſiderantur. Nobilibus nec mercenarijs enſibus, fulgorem viresque auxit purpura Maieſtatis comes: nam Tyndaridas valentiſſimos athletas, ait Poëta, quòd præeſſent apud Spartam certaminibus, non ſolùm audaci cum Hercule, ſed docto cum Mercurio. Senatus geſtans fortunam reipublicæ, ſecutus Henricum vniuerſus per exilia: pars maxima apud Turones, pars Catalauni manens, ſortes & pericula principis venerata. Si qui Lutetię reſidui,

nec faciem, nec ſuccum Senatus habuêre: ſi quidem è quouis cœtu plærique collegium faciunt. At hæc minutula Lutetiana portio, oſtendemus ſuo loco, quantùm ſimilis Principem deſtituenti, ſolerter principatum reſtituerit: vt pateat quantum authoritatis & iuris prætulerit, Senatus integer Principi aſſiduus. Hæc ſubſidia calamitoſi regis. Per calamitatem dùm quærit Princeps, an fata viam inuenient, Rotomagenſes incurſionibus vexat. Si quidem vi maiore adoriri vrbis frequētiam, & munitionem oppugnare, raris cohortibus non licebat. At quia Mayennæus milite potens moleſtiis Rotomagenſium propellendis celerare diceretur, Dieppam Hēricus ſe refert, nec tamen ſe pomerio includit: nam maieſtatis numen à ſubditis obſideri infame eſt: ipſi

etiam ſęclo, ſi quandò accidit, ignominioſum. Exit verò ad vicinas Arquas loco commodo pugnaturus. Munitus vallo Princeps, breuibuſque ſe caſtris arcens nil adeo timere debuit, quàm ſi vinceretur, ab Arquis in aquas non remoti Dieſpici littoris prouolui. Nec vlla ſpes in Oceani perfidiâ. Heri & ante menſem, ſub Valeſio quadraginta militum millia planitiem occupabant: hodie extincto Valeſio, non militiæ decimas Henricus numerare poteſt. Sed quod inſigniore notâ dignum, non accreſcunt aduerſis factionibus qui dilabuntur: imò diſſimulant, euaneſcunt, dùm pauci apud Henricum ſudant in officiis. Sic Pollux occultus eſt in obſcuro Therapnes ſinu, dùm Caſtor Ioui famulatur: nec vt Pollux alternant iſti apud Iouem noſtrum excubias. Francis eadé

eſt cauſa, idem ius belli, ſalus familiæ regiæ. Mutata quidẽ perſona Principis, remanet tamen Princeps. Cur deſunt milites, cauſæ, iuri, Regi?

Spectate Principes aleam fortunæ veſtræ in Henrico, quem fortunæ deſertrices abiecerant dum tepeſcunt, & ſilent inter diſſidia ſubditi, dùm ignorant Principem, quem nec throno deuoluunt, nec ſublimant! nimirùm pauentes in tempeſtate Franci diffidebant viribus huius Neptuni: dubitare de eius authoritate ceſſarunt, quando furore elementi conſpicuè ſubacto patuit verè maris Princeps, fluctuumque arbiter. Ergo ipſi paulò ante certamina, in militum ſolitudine quid agendum deliberanti, Bironius ſenior cenſebat.

Perde nos Princeps, viles & pauci ſumus, nec patere virtutem tuam

numeris obrui. Admouet tibi Mayennæus fatum: cur accedenti calamitati occurris, veniſque in prœlium abrumpens vitam, & imperij fortunam, quam tenere abſtinendo potes? ſi certas, reſtat tibi aut ferre vincula, vel mortem occupare: tonderi ſummus fauor, nouuſque Hugonoto. Moeſti & Monpenſerius, & Aruernus, & Caſtillonius & Bironij nos ſqualentes deſpiciemur in opprobriis audaciæ tuæ. Nam Sueſſio, Longouilius, Aumontius, qui ad auxilia noſtra celerant, ſexaginta paſſuum millibus à te diſtant; comploraturi modò funus tuum, & poſt cladem ſerò venerint. Cùm tot, in regiâ animâ, populorum vita ſaluſque, benigne Princeps, ſæuitia eſt voluiſſe mori. Tranſi lembo ad Britannam: dabit amica Princeps arma, militem, ſtipendia. Nos protecti

Dieppæ vicinæ mœnibus pendentem in littore rerum & regni ſpem tuebimur. Si reſiſtimus, reperies tuos: ſi morimur, nil rediens perdideris: littus enim forti cedit & armato cuiuis.

At Princeps: nequeo ſciſcitari ipſe auxilia: regem per miniſtros, Bironi, auxilia inuocare decet. Si ſolo hoſtibus cedo, nequiter ſolium deinceps ſpero.

Pro ſeipſo præliari ſtatuit. Copias Henrici ſi numeras, vix Romani inſtituti hæc legio, militum triginta millibus obſeſſa ſuperauit anguſtias, exitumque comperit vnâ præliatione, ſed per dies plures cõtinuâ. Opus vice miraculi, audienti non fortuito tolerandum: ab ipſis tamen dimicantibus confectum: dicendum tot diebus, quot peractum eſt. Sufficient pauca annotanti. In præliantis

conſpirati nube caligat,trepidatque pars peditis noſtri. Confirmandis vacillantium animis,præfectus Heluetio prætoriano Galatiſius in hoſtẽ conuerſus, infert ſe: Et quò perfide conſpirate præcipitas? venis in necem: exſcindam perfidiam hâc machærâ: ecce macto ſcelus. Cum dicto paucos feriens, conſpiratos arcet eâ parte: &exemplo vigoris reſtituit marcentes apud quoſdam peditum noſtrorum animos. Non vi, nõ dicto, ſed æmulationis per corda vibrato igne, componit fluitantes nonnullas turmas, quæ turpem fugam reſpectabant: nec vt Scipio Canuſij, directo in ſuos gladio meditationem fugæ coercuit. Curia viro patria ſub Alpinis iugis. Miraculum certaminis qui volet examinare, ſciat quod nullus hoſtes viciſſe labor, ſed afflixiſſe inſidiatores. Pedi-

tes enim Heluetij hoſtiles, Germanique, ſeu viderint bellante noſtro nutantem Mayennæum, ſeu aſtu ita fecerint, conſpiratarum partium deſertores iurant in verba Principis. At inter dubia certaminis, in eundem periuri torquent haſtas, ſceluſque mutant ſcelere. Princeps verti iubet os machinæ colubricæ in rebelles, manuque propriâ intendens perticam, colubricæ dorſo miniſtrat flammas, necem, iraſque tranſuomit in flagitium. Non vt Vulcanus Ioui cudit fulgura, nec ipſe vibrat: idem ecce Deus hoc prœlio, ignes facit & igne ferit. Ambuſti quidam & fracti: ſemineces alij pallenteſque fugati: & quem non terreat miſſile regis? immiſſi per fugaces quingenti Franci pedites exultant ſtrage. Factus caſu perfidiæ monſtrorum domitor Princeps, vi viam aperit: op-

pidum Eu debellāti reſtituitur: hortatus Deus & poſt prœlium in primis victoriæ ſpoliis græcâ voce & more oraculi, Benè, locutus, ſequentem interpretatur fortunam ſpondetque:

Lutetiæ ſuburbia incūrſat. Conſpiratus illa excubiis & milite cinxerat, tormentis in idoneo diſpoſitis, vt ſuburbanæ ædificationis elegantia eximeretur incendiis. Princeps vim affert audaciæ, & milites octingentos tantùm obtruncat quia ſoli reſiſtebant : conſternatæ cateruæ cæteræ pernici fugâ ſolum replaudentes dant ſe in vrbis viam. Premit victor, promiſcuo fugientis & ſequentis impetu trudit ſe noſter, portaſque præteruolans ſpectatur gladiator intra mœnia. Minatur rapinam ſperatque: promptus ad prædam quantò magis ſtrictos enſis, &

arma

arma militem hortantur, feruntque ad laſciuiam. Sed refrænat ſuos Henricus, canenſque receptui, in ſua quemque ſigna refert. Et niſi paucos illos præcipites qui iam ſe introduxerant, reuocaſſet: quia ingruentibus legionibus patebat aditus, eâ die direpta vrbs gentium decus concidiſſet. Vbi retrogreſſus eſt noſter, in vrbe trepidatio fugacium, pauor imbellium, lugent matronæ, plangunt virgines. Fundere ſe in publicum viduitas, orbitas, nexus amicitiarum diſſolutus cuncta deſolare. Fortiſſimo cuique ſuprema virtus fulcire portas, & obdere peſſulo. Ex breui irruptione, ſæua nocenſque plaga crudeſcit in opinione futuri mali. Tormenta capta tredecim fuere Henrico lucrum & probatio victoriæ: terror ciui ex armis ſuis, ſæpe trucidatio. Geſta hæc per dies

omnium Sanctorum feſtos: & certè cùm tantis periculis Lutetiani cóflictarentur, erat non ſolùm pro tempore, ſed pro ærumnâ inuocandus omnis Sanctorum chorus. Non quieſcit ciuium fremitus, vacillat etiam in aduentu nocturno Mayennæi: nec enim plebeia ingenia putant auxilio celeraſſe, ſed timuiſſe, qui noctu veniſſet. Dabat per ſequentes dies conſpiratis Princeps præſentem occaſionem prœlij, militari quouis irritamento bellum inflammans: prodiit nemo in congreſſum.

Inde per Celtarum longos tractus diuagans, Stampas, Vindocinamque deditione recipit. Turones poſtliminio viſens, ouanſque vrbem ingreſſus, oſculatur adlabentem genibus Legatum Senatus Veneti: cuius certus amor in re incertâ, & iam

inde à principiis inopiæ regiæ ardêre cœpit. Henricum ſalutauit quarto principatus mēſe; deſpectum à ſuis, poſt cædem Valeſij nouum hominem, & in re exiguâ vt maximum colens. Inſignis conſtantia Senatus agnoſcentis periclitantem. nam clades ſuas ſuſtinere & alienas complecti, æqua magnanimitas. At cùm ſoleant bellatores, non ſolùm hoſtes vlciſci, sed hoſtium fautores; regi blanditus Senatus, regiorum hoſtium vindictam prouocat, & ſpernit. Relata Senatui commodùm gratia, tacere expedit: exprobrat gratiam qui recitat, etiam delet.

Hilaratus Princeps hâc conſtantium virûm gratulatione, pergit alacrior ad geſta: Cœnomana, Lauallium, & plura, ſed tædet numerus, tradunt ſe in peregrinantis & excurrentis ſinus. Caſtello Mayennæ im-

poſita cohortium præſidia: quod geſtum non tanti operis, quàm ominis. reflectit iter velut per circuitum victoriarum materiem amplexus, ſequens ipſas & feſtinatione præuortens. Alençonium & Falaza, inclinant ad Henrici nutus: Lexouij dediti: ſed abſenti Pontæſiũ Mayennæus eripit: Iuliobona tamen Marti regio ſuccumbit, Meulanum obſidione liberatur. Iam Lutetiæ diſceptatur inter ciues, quia regium ferrum in vicino eſt, an introducendi in liberrimam ciuitatem milites cõſpiratorum præſidiarij. Interrogatus Duuarus qui poſthâc ſubtili cõſilio viros ſæpiùs exſuſcitat ad proba, & acuit ad vtilia, ſic ait:

Exibis ergò vigil ciuis noctu in ſuburbia? nam illa cuſtode munienda: excubabis pro vallo? intereà exceptus pomœrio nouus hoſpes inda-

gabit lares tuos, te abſente ſacra domeſtica fœdus tractabit. ſollicitans matronarum caſtitatem, virginibus inſidiatus, coniugum corruptor, puellarum deceptor, pudicitiam vbique proſternet. Hoc audebit introductus miles noſter: non eſt enim diſtinctio militis: licentia vna eſt armati, tàm amici quàm hoſtis. Conſerua mi ciuis familiam, & ſpecta ſi extrarium Martem exceperis, nil ampliùs timendum tibi, verſabere inter peſſima. Cognata cuiuis bello inſania eſt, in ciuili ineuitabilis. præcipuè non numerato ſtipendio ſtrepit miles: miſce indignatæ militiæ plebeium furorem, & generas hoc coniugio rapinam, aut excidium. hæc ille.

At paulò poſt intromiſſi Germani milites, quia Hiſpanè non loquerentur, mitiores apud plebem viſi.

Princeps Druideſſam circumdat exercitu & periculo: inſtruit ſe conſpiratus, & præparat recreandis obſeſſis: at rex ſoluens obſeſſorum mœſtitiam, obuius infenſis legionibus prodit in Ibericos campos. Ibi Hiſpanorũ clades exquiſita ab ipſis. Vrgebat enim Mayennæum ad prẹlia, Gaetanus Pontificis Legatus Hiſpanorum ſuaſu, & hoc aſtu. Si vincit Mayennæus, milite etiam minuetur per ipſam victoriam: nam incruentè Henricus fundi non poteſt. Si vincitur, eò lugubriùs debilitatur. At vtcumque victor aut victus Mayennæus amiſſos plorarit ſuos, cogetur implorare milites Iberos: Sic in caſu & in victoriâ, venient cuncta Francorum ad cauſam fortunamque noſtram. Vides ex hoc dilemmate, quàm anxia & periculoſa ex alieno auxilia. Principes

Sarmartarũ in commilitium à Veſpaſiani ſociis aſciti, vim equitum offerebant aduerſus Vitellium: remiſſum id munus, ne inter diſcordias maiore ex diuerſo mercede, ius faſque exuerent. Secùs conſpirati alienis vtentes armis, rerum quoque ſummam ad extraneos propè detulerunt.

Coactus præliari Mayennæus, ducit prælij ſuaſores ad ſtragem. Stant aduerſę acies: de tergo hoſtili, ſol in vultus noſtros radians, perſtringit adſpectus. Princeps cateruas paulum ſinuat, iubens greſſum prouehere, & Sideri fulgenti latus opponere: vt ex obliquo illuſtres & communes exercitibus radij facerẽt „ æquam certamini lucem. Sic parti- „ bus vtriſque apud Cannas obliqui „ fuere. Victoria non eſt militaris au- „ dacię tota, partem ſcientia vſurpat. „

ibi primùm Bironius iunior cæpit adminiſtrare prælia: ipſe & Vicquius, pari ferè poteſtate, ordinibus legionum & turmarum ſedibus pręfecti, diſpoſuere aciem, partiti cuique locum & gradus. acceptâ priùs à rege papyro, vbi propriâ manu delineati ordines, ijdemque in campis diſtinguendi. Vnum ex agminibus ducebat Princeps, non abditus imo ſecuruſque exercitu, non ſatellitio tectus & quęrendus ab hoſte: turmas anteit vel dux ſuorum vel ſatelles. Spectat regem hoſtis ſplendentem armis & ſuperundante caput pennâ inſignem. cupiuit notari Princeps, quia de regno certatur, & quandò rex eo bello ambigitur, non eſſe in obſcuro, fuſus Henricum regem fateretur hoſtis. ſexcentos ducebat equites, hærebatque ducis lateri Contides: quo agmine bis mille

lacerat, nam ſic ex aduerſo progreditur conſpiratus.

Ferentarij quadringenti humilioribus equis præcurſant: bombęâ pilarumque grandine in noſtros procellam vomunt, vt ordines turbent aut diuellant. proximi adhęſere mille ſeptingenti equites, ingens globus & horribilis: ex ipſis medij quingenti Franci, conſpirationis neruus, mille ducenti in vtroque cornu Iberiæ fiducia. & hæc miſeri equitis pars maxima, non totum viſura diem, confectam cateruam æquo paſſu vehunt in periculum Duces quatuor nobiliſſimi Mayennęus, Nemoroſus, Aumalius, Egmontes.

Spreuit Egmontes raros Francorum ordines, non in auro ſed in ferro totos: Non ſufficiunt, inquit, iſta pueris noſtris. Verè laſciuorum Dominorum pueris deſpecta fuit Hen-

rici ferrugo: at Iberûm ſerica lixis noſtris abundarunt. Et Princeps ad hunc & illum è proximis locutus: vides mi commilito, mi Niſe, quo Egmontes equo, quibus in armis aureus? ipſum illum thoracem criſtaſque rubentes, iam nunc vbi vicero excipies tua præmia. nec trepidat numeros oppugnare Princeps qui ſolet vincere. Ille globum penetrás, diu intra necem diſcurrens obſidetur ſortis inſidiis. Per cõfuſum Martem impræuiſus Egmontes regio ſub thorace rimas latuſque tentat: nec adhuc certum mucroni aditum fecerat, & eâdem arte ipſe perit, Albiterrij gnaui inter proceres gladio perforatus. Saluus Princeps periculique ſui ignarus, nec enim læuum agnouerat intentus aduerſis, fundit vniuerſa donec metenti gladio non reſtarint, ipſi qui euaſerunt conſpi-

rationis duces.

Diuerſas petiêre vias: non iſtud è fœdere, ſed ad ſalutem diuersè curritur. Quidam Carnutenſes campos, alij Sequanæ tractus tutiores opinati: violant in receſſu cóſpirationem, ſeruantque. omitto narrare quantas vires ferrumque ruperint, ſuis ſinguli agminibus cæteri Duces, Monpéſerius, Aruernus, Aumontius, Bironius filius. quàm dexter Vulcani miniſter Guiſchius magiſter machinæ. quàm peditum Tribuni conſtantes Grillonius, & Lahirius pugnacium priſco de ſanguine. Omitto totius declarare prælij fortunam: ſtrictim loquor: vicit Princeps pridie Idus Martias Cæſari funeſtas.

Incolumis Mayennæus vitatâ cæde, præterita pericula meditari cœpit: è cuius ore manauit hæc vox, Fortunã eſſe regiæ virtutis comitem.

Manta,Corbolium, Lagnium, Melodunum, accedunt Henrico ſubigenti. Lutetiæ rurſus adſidet. De monteMartyrum igniuomis machinis ferrum per vrbem ſpargit, procumbunt tecta, totúmque cælum fragore tonat. Henricus ruinas diſcriminans, diſtinctè vetat Mariæ Dominæ affligi turres vel diſcerpi. Cernebat ex alto,hinc vocitata palatia regi Pariſio & multum ſperata: inde celſos montium vrbicorum apices:quà Hilarij faſtigia,quà Genouefę verticem,quemque ſuo de colle Diuum veneraturus, ſacra non lacerat domicilia.

Ex ſuperiorum complexu, bellantis celeritatem adſpice velut fulguris:agit tranſeundo:nec cùm agit fulgur, moras vel interualla diſtinguit:at quia præſens nuſquam affirmare potes,etiam cum agit, tranſit,

aut fulgurat, dic tranſiiſſe. Veriſſimum eſt, & raris auditum ęquale ſęculis: ab Oceano & Dieſpâ Lutetiâ, inde Armoricos Britones per ſpatia & terras, ab iſtis per varia reflexo itinere, Nortmanos peragraſſe totos vt ferè in oſtijs Sequanæ libaret. Ter & quater ſuperaſſe fluuium: iuiſſe, rediiſſe bis hoſtili fracto exercitu: vrbibus, indignum, à tranſcurrente ſubactis pluribus, inter eas nobilibus decem: vbi Lutetiæ ſecundùm aſſedit, exercitum per decies centena millia paſſuum circumegiſſe menſibus vix octo. Audi quæ ſunt impedimenta pro millibus vicies centenis. Peragrantem non remoratę machinæ pigrum onus, non caſtrenſis ſarcina: non pompa molliuit gradus, quandò apud Turones, vrbem ex itinere ouans ingreditur: nec per geſta deſiderati dies, quos triumphi fe-

ſtiuitas expeditioni detraxit. non prçlia fregêre inceſſum, non vrbium vſurpatio: diſtinuêre populi vt vinceret, totúmque tempus victoriç eſt. celebrior fuit expeditio celeritatis per oppoſita incedentis & funera, manu promptâ ad trucidandum. Ibericâ ſola pugnâ mille quingentos necauit equites: fecitque illuſtré cædem, vt probauit inſignem Annibal apud Cannas ex annulis. pedeſtrem næniam recenſere ignauum eſt. Hæc vnius horæ opera, tam animosè cæditur: ſedula & induſtria eſt in detrimenta calamitas. Tanto horrore ſanguinis hoſtis extimuit, vt toto deinceps bello per annos octo, inter innumeras velitationes, inſidias, obſidiones, in diſcrimen totius Martis aut prælij conferre ſigna detrectarit. Numera cęſos captóſque duces: apud Arquas Sagonna peremptus, Belinus vinctus. celerauit in

manus regias captiuus apud haud ignobilem Falaſam nobilior vrbe Briſſacius dedititius,apud Ibericum Boſidalphinus:ſed Egmõtes, Brunſuicenſis iunior, Caſtaneræus, trucidati. Breuia ſunt hæc magnarum virtutum, notæque preſſius exſcriptæ.

In Duce Nemoroſo ſtudium ſpeſque ciuitatis obſeſſæ, abſente Mayénæo conuerſa in illum ora: & per obſidionem potuit Lutetia non ſemel capi abſtinente rege. Cui Tribunus quidam Heluetius: næ rides ſpicula noſtra Princeps,ludicroſque labores reddis,quãdò Lutetiã obſeſſã renuis ſubigi: pro vrbe certas inimicâ inimicus ſudori noſtro.bellũ ecce Deo infers, vult exſcindi Lutetiam, reſiſtis capi. quid complectitur in ſe boni maliue intus Lutetia, cur noſtra actutùm non fiat? paucis Helue-

tiis nimiùm vini: reſpondet Princeps.

Fanum intereà Dionyſij capitur, oppidum munitum & venerabile: venerunt Principum manes in tutelam manuſque Principis. nec cùm aliæ multæ vrbes viciſſim occupatæ ſint, toto bello à conſpiratis recuperari iſta potuit, tametſi crebris tentata inſidiis: fauente ſepulcris cœlo, diuiſque Francis hoſtilem abominantibus cuſtodiam & cauſam.

Interea Lutetiani ciues ad lamentabilem cibi egeſtatem, obſidione redacti, ferunt ſupplicia rebellionis: diſcunt mori patriam abſente & indignante Principe. Olus patrem inter filiumque, fit primò rapientis: non pater tueri progeniem cogitat, non pium filius genitorem conſeruare: non ille ſpem ſuam alere, non hic authoris vitam producere. inuidet mater

det mater nati edulijs. At hic fortuitum cibum vorans, vorat etiam parentis inuidiam: terminat amorem & religionem æſuries. mandere iumenta & omne genus animalis: ędificia ſubuertere: & inter ruinas muri facere lucrum muris nec ingrati obſonij: verè vt Athenas obſidente Demetrio Poliorcete, pater & filius de ſorice concertarunt. at dùm plebecula flebilibus modis farinam efflagitat, Legatus Iberi Principis Mendoſa ignaras docêre turmas de farinæ abundantiâ, in cæmeterio ſancti Innocentij: nempe piſtrino comminuenda parentum oſſa. Deplorabilis miſerię ſcriptor veriſſimus Duuarus.

Populi amentiam! debuiſti te ipſum noſſe à ſuppliciis tuis: quicquid potentes delirabant, tu vilis plectebare: ſi quis cinerem tanquam pa-

nem ſapiens manducauit, nullus farinam ex oſſibus & cineribus humanis furens fecit. Tu ciuis humanorum oſſium farinam ſuaſus coquere prodigium famis! eâ de ęrumnâ locutus Vigenerus, *Perditio tua ex te, ô Iſrael.* Fœlices quos gloria ferri, langoribus famis exemit! principes tamen fœminæ, Monpenſeria, Guiſia, Nemoroſa, audent militum tractare vulnera, & manuum deliciis dolorem fruſtra ſedant. Alexandrum bellantem procul in Triballis Demoſthenes Puerum appellabat: migro Alexander puer è Triballis: adoleſco cùm Theſſalos penetro: vir ero cùm pro muris Athenarum metabor caſtra: interim me terribilem Athenienſes fateántur: exhorreāt Thebàs ſubuertentem ſic loquebatur. Henricū conſpirati, Benearnenſem appellarunt: luſtrat armatus Celtas, domat

populos,regulus eſt:regem ſe iactat apud Ibericum conſpiratos diſſipans:victor,vltorque ſeuerus rebellionis eſt, cùm Lutetiam circumdat immiſsâ fame.

Nuper ante calamitoſam inediam, Theologi de pace cum hæretico loqui cenſuêre nefas. Nunc cùm aëre, ſolóque viuit elemento ciuis, nec mure nec equo ſuperſtite, verſis cũctis abominandis in ſuccum & ſanguinem hominis: nunc ſuffocatis plebis faucibus illud acclamantis pro valuis palatij,aut Panem Duces aut pacem: quæritur apud Theologos: An ſubeant Pontificis anathema, qui Borbonium famelici conuenient,dein vt cõuertant, vel quod rei Catholicæ felix fauſtúmque ſit? Non.hæc in hiſtoriis tranſcripta, ex ipſo themate conſultis Theologis propoſito. Vtrũque Scytham quis

non fatigabit preſſis oſculis, vt Petro ſubiiciat? de Franco tamen eo tempore deliberandum fuit, aduerte, de Borbonio. gentem ſuam æternùm ſeruabit Deus tabeſcente inuidiâ. Igitur macilenti triſteſque mortales, probante Gaetano Pontificis Legato, de conditione pacis ſupplicant. exorandi regis graue negotium aggreditur Gondius almę vrbis Epiſcopus, dilectus ad eandem cauſam Petrus Pinacius totius Galliarum Cleri Princeps.

Princeps ira reges præcipitat, deſperatio ſubditos. vna hæc differentia indignationis regię & plebeię, quod ſemper ira damnoſa principi cùm depaſcitur fortunas populi : nam quantùm ciui detrahitur, tantùm eget Princeps. Furor verò populi, regum ſępè atrociâ proiectus ad extremos auſus, neglectu ſalutis ipſam

non omninò perdidit : facit fauſta deſperando non deliquimus cùm pro aris pugnauimus. Si periurio apud non aſpectam maieſtatem nocentes ſumus; vide ne denegatum per te remedium potiùs quàm ſceleris memoria,propellat nos ad quæuis aſpera,vnde victoria miſerrimis. intelligis olim Gandauos obſidentis Flandri Comitis fregiſſe ſepta, & innumeros hoſtes leui manu conſternaſſe?mœſtum hoc & lugubre Princeps,ſed verum:& has facit deſperatio vindictas.At inter Francos Sancerrani in vltimis habuerũt animos. & quia non victoriam tranquillitati publicę,ſed ciuium vitam obſidentes ſupplicio depoſcebant, inuenta ſalus obſeſſis per inediam & langores.ſi defendi poſſumus, cur offendere perſeueras? ſi noxij ſumus, tua Clementia ſit. ecce ſi pacem publi-

cam non refutas obſequentes. ſatiùs eſt ſi de tranquilitate Francâ paciſceris, poſſidere nos aut crimine purgatos, aut veniâ meliores, quàm deſiderare perditos, fortè potiores intueri: ſed abſit inuideas temeritati noſtræ.

Sic locuta eſuries: tunc Princeps.

Qui effræni deſperatione fæliciora parant, vobis abſimiles, ſuburbio pauidè non cedunt, nec tribuunt hoſti tàm pingues victorię primitias. infirmorum furor cedit in miſerias: rebellio affligit eoſdem animos quos inflammauit: dicite, vſquam eſt animoſa Saguntos? eques mihi nobilis & victor, nec minor quinque millibus, firmatus rerum gloriâ, Gādauicum facinus non exhorreſcit, non mollis mihi laſciuuſque in proſperis legionarius: æmulantem virtutis beneficia malignámquę forti-

tudinis hoſtem fortunam, ille temnit, nunquàm inermis vel incautus, æquâ nouit peritiâ cauêre & cędere. valete tandem, non adſultaui Lutetianis mœnibus variâ exemplorum ſuadendus eruditione: ſuper deditione ciues intra octo dies reſpondento.

Lutetiani aliena & Gandauica perorantes egregia, profecêre quãtùm Athenienſes apud obſeſſorem Syllã: non tam deditionem locuti, quàm Theſeum, Eumolpũ, Medica, enarrantes. abite viri: ſuadelæ Atticę non veni ſtudioſus.

Ergo ad deditionem propendunt, & Farneſius adeſt cum valido exercitu: obuius Princeps eductis cunctis copiis ſpargit ſemina belli. prouocant hoſtem, pudor declinati certaminis, Francorumque procacia exſultãtium ad pugnas: iurgium etiam

cædebat aures. videt ille cateruas equitum quinque millium, cunctas nobilium inexpugnabiles. cedere tanto generi non ignobile, ſatiuſque victoriam reſeruare tempori, quàm gladio confidere. longos ducit aggeres, foſsâ munit exercitum arte trahendi & moræ, increpat Francus miles.

Veniſti de Belgis vltimis, vt Henricum videres? conſpice arma, coruſcant ecce, nitentque, ſi fructum expeditionis ad oculos refers. an Iberus, Italúſve tibi miles euocatus, Germanus mercenarius, Belga ferox, infeſtus noſter vt te experiamur carêre milite? negamus ſuccinctum femori tuo gladium, & adſtat comes lateri tuo Mayennæus, qui iugulis noſtris ſæpius intentauit enſes: vidêre Turones, infremuit Ligeris violari pontem, oſtendunt Arque

purpureæ,Iberici campi cruore tincti. verêre teſtem arbitrumque torporis ducem:exemplis aut age proximis,aut erubeſce.veniſti in has terras vt te defenderes ? an Henricum vt terreres?protere,indefenſus adeſt: non enim protegitur cui non inſultas.militaris ſapientia Farneſij, ſpernens ſtimulos è contumeliâ non bileſcit,& apud ſuos.

Siſte miles,inquit,& tene manus: ſat erit pugnatum ſi viceris. hoſtem expelle,& dele tolerando. compeſce animos,mirum herculè facis,frangis hoſtem,nec feris. debilita modò cateruas ingentes, & inſanas debella. iam ſi ſubſiſtet aduerſarius,nec ſuis cadit viribus,honeſtum eſt vel ſpreuiſſe minacem,vel manibus nō ſuccubuiſſe bellicoſis. omnia mihi in tuto & clara:integer aggrederis: infractus regredere.laureatis & debel-

lantibus æqualis es ſi non vinceris: ſubjugare enim poteſt quem non aduerſarij conſternarunt.

Addit mandatum à Philippo rege liberare Lutetiam, Henricum dimouere vel minuere, nec iuſſum debellare. Hanc vitati certaminis ignominiam noſtri appellant: imputat ille obediētiæ, Prudentiæ nō formidini. tonāte ſub Henrici auribus tormento, Lagnium tentat Farneſius. ſcribunt omnes hoſtilis machinæ tonitru in regiis caſtris non exauditum, vento tormenti ſonum diuertente. oppidum nudum milite, vix tribus centuriis, nec aliâ re quàm viciniâ regis tutum, expugnat, adiectâ voce & repetitâ, Lagnium ſubigam etiam barbę regiæ, ſi eminentiùs inſideat. audentis imago: captum oppidum habet pro derelicto, tanti pretij præda fuit vt citò ſperneretur. memora-

bile fuit geſtum iſtud è formâ, vide figuram belli.

Sedebat loco Princeps molliter deuexo, ſubmittens validiorem partem exercitus in planitiem, totis caſtris tenens firmioris humi ſitum. Farneſius campo paluſtri incertum figebat pedem, ſubſidebat humus commeanti. ſecura tamen & tuta caſtrorum ſedes: quia ſi paludem inſiliret Francus, ipſis loci deceptus inſidiis & lubrico, mollis & fractus eſſet cùm intraret in congreſſum. atque vt frons hoſtilium caſtrorum eſſet Principi inacceſſa, extra ipſa exercitus principia velites, triquetræ foſſæ cuneo, & velut mucrone caſtris minabantur noſtris. ergò tecta conſpirati facies, fluuius lateri adfluebat, diuidunt proximas vtriuſque Bellonæ excubias ferè mille paſſus: ponè Farneſium aberat Lagniũ pa-

ri ſpatio. ſic quia medius Principem inter & oppidum eſſet conſpiratus, noſtra ab oppido remouebantur auxilia: at inſulturo in oppidum Farneſio, ſolus oberat fluuij traiectus. hîc ſedet *belliger Aſtur*: & è contrà *hoc fixa loco tentoria Regis*. Super aquas attoniti Matronæ fulgur è ripâ citeriore impellũt conſpiratorũ torm̃eta: ruente mœniũ macerie gemit fluuius turbatus irâ machinæ. ſeptem horis completa laceratio, debilis muri ruinam exæquauit: citò fit in caduco munimento: tùm nauigia ex vrbibus conſpiratis ſubactas aquas facilè tranantia, non procul oppido iactis anchoris, Matronam ponte tabulant: nec paucis obſeſſis licuit fabricam ſubitariam confringere. bis mille pedites à ferociâ electi pontem tranſuolant, & per vlteriorem ripam trudunt ſe inter ruinas: trucidant ra-

ros obuios, potiti prædâ breui.

Gerentibus aſpera bella maximis ducibus, & de re maximâ, vtriuſque virtus variâ in arte fuit. Princeps in mucrone gloriatur, Farneſius quòd Lutetiâ propè poſſidenti ſuffuratur. Henricus fruſtrà de vrbe cogitandum, quandò de fortunâ cunctâ tranſigere poteſt vnus enſis, qui fortunatos transfigit ipſos: Farneſius in Lutetiâ cõſeruatâ eſſe victoriæ ſummam. Henricus, capi poſſe expulſis auxiliis: Farneſius allatam inuadenti moram ſpem eſſe ſecuritatis: excuſare patriam vincenti quóque abeſſe procul: improſpero, per hoſtilem regionem & per noſtra periculoſum effugium. Henricus in propriis terris ſpectare improſpera & hoſtilia cuncta, pręter enſem ſperare & habere nihil. ex vtriuſque inſtituto parati armatíque exercitus. nam Princeps ra-

ris munitus vtenſilibus,ſed multo & nobili micans gladio,minari ferox& audêre. Farneſius denſo pedite, ſed operis caſtrenſibus & inſtrumento militari inſtructus, obſiſtere melior quàm vrgere: obſidere quàm præliari.

At Rex cùm videret prælium à Farneſio fugi,ſoluit onus exercitus, promptiſſimo retento milite,dimittit cæteros per opportuna. quandiù hoſtis certamini parcet,inutilis mihi, inquit,exercitus: hoſtis ipſe per deſidiam facilè in alienis terris diſſipabitur.ſic laxatę Lutetianorum anguſtiæ: ciues vbi de muro vidêre terga recedentium legionum , tacita ora viciſſim oſtentant premuntque digito : quod credere non audent nec dicere,nutu docent.vbi omnis exercitus imago , vbi ſe ſigna oculis abſtulêre,metus euanuit: ſed non ſta-

tim exiêre Iberi Calabríque ter milleà Farneſio & Mayennæo immiſſi; quibus libera foris ciuitas ſeruiebat intrò, & Hiſpanè loqui docebatur.

Lutetiâ liberatâ diſcedit Farneſius: dùm ad limitem Picardiæ properat, cum eo ex itinere colluctatus eſt Gonzaga Niuernenſis, morámque attulit euadenti. ſperat Henricus occupaturus per aperta remeantem & in longinquo. contendit acriter, & quia dilabitur Iberus, facit indignatio celeritatem: breui hoſtem aſſecutus calcem proterit, adſiſtit veſtigiis, cogit ad gladios ſub Picardię finibus, quà Tarteni ſunt & Tiraſci. mille equites regiâ potiti expeditione: pars equeſtre certamen ſummâ ferociâ miſcent exercéntque: & agit in hoſtes Bironius filius hanc procellam. at hoſtis laudem in offenſâ reputans, ignominiam in repulsâ, fun-

dit in Bironium : Bironius reuoluit equitem iſtum in Hiſpanam aciem, redigitque vnde exceſſerat. hippomachiæ Mantinæenſis memoriam audaciæ comparatione repetit : ſed his pugnis Euphranoris penicilla deſunt, quę Athenienſium hippomachię gratificata ſunt. his quoque pugnis maior gratia venuſtaſque in ore & pectore hominum, quàm in tabellâ vel picturis.

Explora Diuûm Francorum præſentiam, nec migrantia in partes hoſtiles numina: Aumalius Melitenſis eques acer & pugnax, nocturno furto ſancti Dionyſij mœnia cúm quibuſdam millibus tranſcendit. at Vicquius præfectus loco citat militem, rapitque tumultuantem & ſemiſomnem pręſidiarium. ſurge miles & funde, non conſulto, non ordine opus eſt, ſed impetu manúque mo-

lire quouis modo virtutem, monſtra, & oppone. huius eſt mens nulla Martis: vibra & feri. geſſêre mehercules bella de cœlo pij regum authores Diui Franciæ præſides: dederunt animos militiæ noſtræ: terruerunt hoſtes ex alto, vnde ſpéſque & formido ſumma viris. nam repentino Vicquij occurſu & alacritate, perruptus aduerſarius: confoſſus Aumalius: & eo caſu exturbatus, omnis conſpiratus muro deiicitur.

Carnutes, & Nouiodunum, cedunt militiæ Principis per Farneſianam abſentiam otioſi. Bimeſtris fuit Carnutenſis obſidio: clarum ibi Caſtilonij artificium. cenſuit enim proruí mœnia, quà fluuio adlabente cinguntur: dein Pontem fluuij dorſo iniiciens aditu fabricæ ſternit viam ad gladios, laxat cohortes ad inſultū: aditum obſeſſi enſe & telo claudunt:

certatur cum odiis: atque vt ſemper audacia gloriæ proxima vel neci, cadunt ex inſilientibus inſignes, Tribunique militum. inter eos ſeptem agens ſigna Belloijus Biturix, non ſine dolore Principis, ictu lethali confixus. non eâ ſtrage timent cõſpirati, timent imò præſentem vindictam. nam ex ſociorum nece inflammantur ſequentes milites noſtri, ſuperuolant ſuorum cadauera, triſtemque totam imaginem. pendet victoria è munimentorum ruinis. Per vltimas Bellonæ minas mittunt obſeſſi ſuſpiria, mucronemque noſtrum pacant. Poſt aliquot dies fit deditio. itur ad Nouiodunos: auxiliares Iberûm turmę fugatæ ſępius à Principe, & intrare prohibitæ deſtituunt obſeſſos in manu regia. iraſcebatur armatus Mayennæus in vicino.

Magnificum eſt Henrici Farneſiique ſortem perſequi. ſummus honos Principis victorem Belgarum, rigidi domitorem axis infregiſſe, velut teli hebetaſſe cuſpidem, militiæque impetus æſtuantis exhauſiſſe: contrà Farneſij illuſtris ambitio: rebus geſtis cùm famæ claritudinem occupaſſet quam tenent optimi, vincendo mori ſtatuit, aut ſub Marte nobili ruinæ decus impetrare. humano generi tàm longo tempore bellum Henricus erit? inſultauit Hẽrico, nec cupiuit quicquam ſolidius ad gloriam. recreatus Princeps Anhaltij Germani ſubſidijs, obſidebat Rotomagum opulentam & celebrẽ. iamque arcem Sanctæ Catarinæ de colle vrbi imminentem ſubegerat, altam ex edito ruinam obſeſſis immiſſurus. Farneſius concitatis Philippi regis auxiliis, Flandras legiones

adduxit quibus Hiſpanę turmę miſcebantur: Italas ſeu Gregorianas agebat Sfondratus. Francas Mayennæus rexit cum Heluetiorum populoſis cateruis. è tribus iunctis exercitibus componitur ingens vnus tot gentium non ſolùm numero, ſed varietate linguæ formidabilis. tricorpor hic Hiſpanus Geryon robuſtus & diues, quippe Chryſaoris filius, ab Hercule Franco intra paucos dies diſcerpetur.

Farneſius inter plures duces fax conſpirationis, animusque belli: in acceſſu crebrò tentatus, pauco milite amiſſo pergit ad ſcopum, vrbem periclitantem offirmat. vrbe ſecedunt: Princeps frangendi certandíque, iſte fatigandi & conſeruãdi ſtudiis: intereà proſpicit Farneſius anxia cuncta: incautè abditum ſe intra rerum inopiam. ab Rotomago Se-

quana ſinuoſo curſu ſuffundit ſe Caudibeci mœnibus, inde maris inſtar ad Portum Gratiæ prouolutus miſcetur Oceano. curuatur terra ambientis cedens Oceani viribus: in ipſo curuamine protendens gurgitibus Fiſcicampum, Valericum, & in vltimo receſſu Dieppam: qui à Dieppa Rotomagum trames eſt, peninſulæ pandit introitum in patentes Gallias. iis locis obuerſantur Farneſio interiora Galliæ ſuſpectíque ſoli, nec patent: vaſtus hinc Oceanus, aquarum dominus inde profundus Sequana: & quæ locis eſt terribilior, minatur facies regij exercitus. manentem fames conficit, remeantem armatus noſter ærumnis obſidet. abeſt Farneſio Hiſpanus, prohibetur Belga: nullus anguſtiis trames, nec tamẽ deſperat Farneſius effugiũ vbi non apparet ſalus. Princeps inquietus furere,

ferire, aggerere hoſtib⁹ pericula, nec ab ipſis formidare: qui paulò antè acceperat à numine circà ſequentes dimicationes præiudicia, hoſtiles cuneos ſi penetraret, fore toti Vulcano impenetrabilé. iuxta Darnetalũ pagũ diſcrimini ſortíque illudẽs, ſclopeti pilâ illæſus tangitur, inter thoracis & induſij ſecretum adhærente inſonte glande: hoſtili ferro regium venerante latus, in quod non verentur ciuium animi conſpirare. adcò plus inferro ingenij quàm fidei humano in pectore. qualis ſagitta de Samiâ turri miſſa Timothei obſidentis pedes baſiauit, virtutémque innocens docuit reuereri. nuſquam clariùs vidit Princeps è cœlo natales ſuos: vnoque hoc argmento deubuit agnoſcere originem ſuam; & quos nõnulli inuocare negant, implorare cuſtodes patréſque Diuos.

Fauore precedentis illius prodigij potens, per certamina multa vix finem exitio facere: triſtis in cæde clementia: tamen cùm ſtragis non deſit cauſa, cruoris non obliuiſci. primus furor bellicus conſpiratos comperit inter pocula popinámque: fugati epulones celerant ad equos, facítque trepidatio fugam: cadunt pars moroſi, pars violati mero, & venenis potãdi exarmati. vinum promiſcuo ſanguine inficimus: argentea vaſa ſunt in manubiis noſtris, & haurimus argento victorias. proculcamus, rumpimus militis Belgæ, Itali, Franci, Iberi, Germani, Heluetij, reſupinati ceſſantia tympana.

Secundo certamine pro quinque amiſſis noſtris, repetiimus ex hoſte ſexcenta cadauera: nec enim centuplo quiſque noſtrûm ſatis æſtimatus. tertio, recepta ſiluis Hiſpano-

rum ſigna peſſundantur. occumbit Iberus in oculis noſtris plurimus, vulnerati non pauci perniciem ſuam per opaca ſiluæ latibula deferunt: expirant in occulto, inuidéntque numerari cædem. demùm hoſtilium caſtrorum regionem intrat Princeps, quam tenebat creber equitatus: equi gregatim abacti, vt equitum funeri accederet ignominia, vnde vexati pedites noſtri equo firmarentur, vel ordine prouecti ſuperbirent. per dies quindecim exardens cædes, quatuor inſignioribus certaminibus abſumpſit ſex ferè hoſtium millia. vulneratur per has pugnas Farneſius ſclopeti ictus fulmine, quo ſanguine claruit ſtrages.

At Farneſius cùm ſtatuiſſet non conferre in prælium ſigna, aut peribit aſſiduâ calamitate obſeſſus, aut cogetur pugnare deſperans. hoſtis

verò deſperationem declinare ſuadetur Princeps. intereà fluuium ſubitario ponte tegit Conſpiratus, hâc machinâ ſolus euadendi trames. è proceribus quidam ad Regem: Deſtina mihi Princeps equites quingẽtos, pedites ter mille, & tranſmitte in vlteriorem ripam. certamen mihi cum euadentium hoſtium ſingulis alis, ſecabit gladius obuias: vt quiſque Farneſianorum traiiciet, trucidabitur. caſus ſpectabis è citeriore ripâ Princeps, & poſt tranſmiſſos ponte Iberos multos, delebis ſi voles ex hâc parte reſiduos. perdes diuiſos. re acriter diſceptatâ: hoſtem nuſquam Princeps aggredere ferocem, cui non reſtat fugæ locus.

Regnaſſet vlteriùs mali ſæuitia, niſi tunc Tribunorum, Legatorúmque conſilio victus Princeps cunctari inuitus cœpiſſet: obſeruans efferandam ſolùm in patenti belluam,

ne in arcto fugæ fruſtratio niſus adderet alioqui non audendos. transfretat Sequanam Farneſius Lutetiam ſe recipiens, ſolum illi aſylum, feceratque conſeruando, quò fugeret. ſic nunquam perit gratia. monſtrant Henrici arma, minùs abſurdè opinatos veteres Deum eſſe in armis, quàm in rebus aliis: & ſi Dij ſunt quid formidabile? Martem potiùs Diis cõputandum, quàm Neptunũ, quàm cæteros, ſeu maritimos, ſeu fluuiatiles Deos: nam cùm Farneſio aut fluuius traiiciendus aut gladius: per aquas maluit euadere quàm per arma. recedens ergò per aperta Farneſius vbi deſperandi nulla ſpecies, ſed pugnandi ſi velit & fugiendi, vrgetur à Principe, & ſequentem eludit ſpatio ſatis commodo; non tam diligentiâ ſuâ, quàm, vt rumor eſt, per diuerſa paulùm delirante exercitu regio. incertum eſt an fide ducũ,

qui Regis audaciam præcipiti ſimilem & æquo feruidiorem fallerent: an dolo, ne rebus per hoſtilem ruinam compoſitis, intra pacis deſidiã ſub legibus domi viuere, & abſque caſtrenſi licentiâ cogerentur.

Componenti mihi geſta Farneſij Belgica cum Francicis videntur celeberrima quæ vltima, ídque intelligo ex breui parallelo. cenſent cuncti Belgicorum Farneſij facinorum illuſtriſſimum Antuerpienſe: huic non oppono laxatam ab eodem Farneſio Lutetiam, quam non pro vrbe, ſed pro quadam orbis parte recreatâ computo. at cùm Antuerpia, ſit Rotomago nulla re ſuperior, conſeruatam Rotomagum Antuerpiæ præpono expugnatæ: quantò clariùs eſt fœderatam vrbem liberare, quàm hoſtilem ſubiugare. illuſtriùs conquirit qui calamitoſos eripit & iuuat, quàm qui rapit & inuadit hoſtes.

dùm Antuerpiam domat Farneſius, damnat etiam victoriæ fructus: multis comparat iacturis, vrbem laceram poſſidet, lucratur detrimenta quæ vincendo fecit ipſe: & quæ debellando paſſus eſt, luget. dein quia dux nullus, iuſto regióque cum exercitu foris obſeſſos auxiliatur Antuerpianos, nec ſe par Farneſio mœnibus liberator inuehit: quia nullus Memnon ex remotiſſimâ Æthiopiâ huic Troiæ produxit ſubſidiarias legiones. quantum decus circundatos ciues toto triennio, pigro viciſſe bello! tale Luculli apud Poëtam iners & ſegne Cyzicenum bellum. ergo Rotomagum robuſtiſſimo cinctâ exercitu dùm laxat, dat libertatem Farneſius munus Heroicum: ſubiugat liberatorum amicitias mentéſque. ſed totos & intolerabiles Henrici obſidentis fruſtratur impetus: infert vrbi arma, & cùm armis quietem,

ſpectante Marte, notante Henrico, inuidente, nec propellente. dignum Henrici æmulo facinus. fugit centies Farneſius certamina, ſed iactat ſemel non fugiſſe, cùm Rotomagum intrauit. vidit ter & quater diſcerptas membratim ab Henrico legiones, adempta vno certamine ſigna viginti duo. nec eſt ignominioſum crebra ferre mala ab cruento percuſſore Henrico: ſed illuſtre eſt paratam Magnanimi turbaſſe victoriam: & ſæpiùs nocenti, ſemel noxam attuliſſe è re maximâ inſignem, notæque æternæ.

Poſtquàm impleuit locos, tàm de clade ſuâ, quàm laude, obiit Farneſius ſexto pòſt menſe in Belgis ſpleneticus: tantæque vmbræ, digna quis lamenta ferat?

LIBER II.

COnſtantinus, Licinius, Maxentius, vixêre coætanei. ſed amabilior Chriſtianis dies, quà Conſtantinum vidêre conuerſum, quàm vbi Maxentius in Tiberim præcipitatus, vbi Licinius pænis datus. nil enim prodeſt cadere Tyrãnum ſi ſurgit cadente peior: & ſæuitie ſæuitiem pellente damnoſior eſt vincens crudelitas. ſic è Conſtantini conuerſione vtilior virtutum per orbem introitus, quàm incertus è Tyrannorum ſupplicio Tyrannidis finis. at indubiè Conſtantini Magni minùs delectauit conuerſio, quã Henrici Magnanimi: quantò minùs recreat donum, quàm boni reſtitu-

tio: ſiquidem Conſtantinus Eccleſiæ Orthodoxæ donatus, Henricus reſtitutus. atque vt è lugubri præcedentis iacturæ cruciatu, effuſior naſcitur recuperationis hilaritas: ſic Catholicis dato olim Conſtantino non tam exultandum, quàm nuper Henrico reddito.

Optimum itáque eſt fidem tractare Principis, geſta circa eam mortalium conſilia, & aſtus: conuétuum Lutetianorum irritas & ſubuerſas. diuinitùs meditationes, cœlo item quæ exiêre conuerſionis regiæ fauſta auſpicia: quâ re, nulla melior, maior, hilarior fuit ab Apoſtolis ad hoc vſque æuum.

Henricus natus in ſectâ Caluini, doctuſque hominis opiniones, excepit faciliùs vt puer: & auidiùs inter ſectę fautores, dùm celatur veritas. eminenti enim rei adhæretur: occul-

ta pleríſque in dubio eſt, vel riſu. eâ verò ætate apud Benearnios occultus Catholicus ritus, quia inhibitus, miníſque ſuppreſſus: ignorati hęredes Petri, ſpretíque, agnoſcebatur Caluinus. tandem maturis annis, cóiugio Margaretæ Francę decorus Henricus, relicto Benearnenſi ſolo, per aulæ exempla, & Theologię Sorbonicæ doctrinam, initiatus eſt integris nec ambiguis ergà Chriſtum obſequiis. verùm ortâ inter Francos ſeditione, diſcordibus Principibus, animos penetrante & excutiente rixâ, vt diuerſa quîque amplectuntur, ad Hugonotos refugit. His modis per ſeditionem adoleſcit iniuria, & cùm ſeditio eſt in re humanâ, ſeceſſio etiam fit in diuinâ.

Turgentibus verò per multos annos inimicitiis, Princeps dux Hugonotæ vocis, nondùm rerum Do-

minus

minus & adhuc Nauarrus, percutitur anathemate vt hęreticus à Sixto Pontifice. nequicquam per nuntios hortatur Principem Catarina Medicæa, dictans coli Chriſtum ab ipſis Hugonotis: geſtienti adorare Chriſtum, non eſſe incipiendum à neglectu Petri: ſuprema verba & voluntatem teſtatoris Chriſti duceret in animum, quæ vt violare, ſic obliquiùs interpretari nefas.

Aduersùs anathematis fulgetra, Nauarrus ſcripta per ordines regni diuulgat: oſtendens Sacerdoti, Equiti, Plebi, quanta inde pernicies ſcaturiret in cunctos. ſic orbis ocellos, ſic Principes, ſic mortalium ſoſpitatores, gentium fulgurari cuſtodiam. Martem ciet in auxilium, Germanorum accerſit enſes: parata ex Teutonum fabrorum incude inſtrumēta putans ad omne belli opus, & ic-

circo prompta, quod pars ea gentis dudum aſſueta rebellare Petro, piiſque heredibus cenſebat. Pontificis ad ipſum permeantia tela, contrario hoſtilium armorum ictu adęquanda. Arreſius monachus nunquam ſacra librauit arma, in eos quos ſciebat venturos in contemptum ſpiculi: vulnerauit quos pręnoſcebat, futuros ex vulneris dolore doctos. quantum eſt in ea re conſultationis!

Rex Henricus Valeſius, auertendę ſurgentis è Boreâ procellę, & placandæ Bellonæ ſollicitus, Nauarrum monet & prenſat per Cardinalem Lenoncurtium, & Brulartium. Sacerdos ille, conuerſionis officiis idoneus & dirigendæ conſcientiæ: iſte, ſapiens ſecreti Principis, aptus docere obſequia, & tentare virum, diſſuadere igniferas acies, vrgêre ſubditum ad pedes regios. ſed quia conſcien-

tiam & mentem Principis viri illuſtres non penetrant, ſuſcipit tam altas & inexplicabiles curas Catarina Medicæa. nam è Lutetiâ & Belgarum limite, migrauit in Aquitanos, longinqua peregrinatione quærens marginem limpidiſſimi Carentelli.

Sed qui conuenient Principes perſonæ; quomodo ibunt in amplexus? cupiunt, & vacillant: potentum enim fabulę nunquam abſque ſimultate: ſæpe non ſine dolo, & inſidiis. inuenti ſuaſores qui conciliarēt ambigentes animos, Auguſtus Mōpenſerius, & nobiliſſimus Monmorencius ambo adamati Henrico: ille nexu ſanguinis, iſte priſca familiarum neceſſitudine. præpararunt ambo communi ſuadela Henrici mentem ad alloquium, purgaruntque venenatas ſuſpiciones. ex hoc tamen conuentu, mortales facti cun-

cti ſuſpicaces. Hugonotus timêre, ne videndo Medicæam Catholicum diſcat aut ſapiat Henricus: Catholicus vereri, ne Medicæa quidquam concedat Hugonoto cõtra Eccleſiæ dignitatem Catholicæ. mutua ſuſpicio inde oriri, quia muliebris conditio, & emollit facilè, & facilè molleſcit: impetrat & largitur plurima. nulla tamen fides inimicitiis abſque fideiuſſore.

Affabulata eſt generum Sanbrici propè Cognacum Engoliſmenſis ſoli oppidum, ſi fortè excuteret hominis opiniones, & moleſtæ peregrinationis labore, mereretur gloriam proſperi luculentíque geſti.

Mi gener, mi fili, cur aduerſus es Catholicis ritibus boníſque tuis? cœleſtem terrenámque ſimul hæreditatem repudias? ſi Catholicè viuis, parata tibi ſpes diadematis ſceptrí-

quę, & hæc non admodum indigna religionis merces. quandiù hæreticè credis, hæreditatem aufers tibi vt indigno: tam locuples & ſacra hæreditas non aſſeruatur hæretico. ſi inimicitias exerces cum æternâ ſalute & futurâ, præſentem cura & ama, imminentis & matureſcentis boni fructum metito. ſecùs agis? perpetuò belligera: nego tibi breuiſſimas inducias: pacificare cum hæretico, quæ iſta execratio eſt? ille.

Domina, fruſtrà loqueris quæ pacem offers, & cogis viuere Catholicè: quàm cogi, certare malo: nec potiùs coges, quàm viceris: & me potiùs amplexabere, quàm debellabis: inaudita & inſolita eſt ratio extorquere vi, quod iure poſſis impetrare. cur me præmiis ineſcas, aut minis præliorum oppugnas? concilia potiùs legitimis, religioſis, priſcis Eccleſiæ mo-

ribus. erudiri volo, docente ſaltem nationis noſtræ concilio: ſecùs, meos ritus abnegare diſplicet. ſi pacem negas, nil inſoliti, nouíque patior innutritus aduerſis & præliis.

De anathemate verò Pontificis, diuersè locuti mortales. quidam dicere vibratum ad Principis animum ſacrâ caſtigatione conuellendum. alij peruersè interpretari: fieri id aſtu molientium res nouas, ambientium diadema, ſi proximus & legitimus regis hæres, ab opulentæ hęreditatis aditione repelleretur. nam Franci hæreticos non agnoſcunt dominos, & hęreticum Nauarrum perſonabat anathematis vox: vnde ſi odio eſſet Henricus, amandus alter. memoranda fuit ea res hoc loco non explanãda. Senatus abiurauit anathema cóprobare, Auguſtę perſonę reuerẽtiâ. eſt omnis in ſenſu vario mortalitas.

Sexennio pòſt, cùm ad principatum Henricus acceſſiſſet, non iam latens,ſed collecta roboratáque conſpiratio, propè ſpirans animalis cuiuſdam vice,poſt cędem Valeſij cœpit conſultare de Principe: interrogati Theologi ipſi conſpirati,re diligenter examinatâ,aiunt interpellandum Henricum de conuerſione ad Eccleſiam.ſi conuertitur,agnoſcendum dominum obſequio dignum, parémque imperio. quo decreto manifeſtè eminet, inter modeſtioris conſpirationis initia,eum ſénſum, & prętextum gregis, non Henrici repudiare dominatum,ſed hęreſim.attamen tractu temporis apparebit ea ſeditionis cæcitas, vt non ſolùm Hérico hęretico, ſed conuerſo piéque credente reiecto, res ad extorrem dominum iniquis tranſirent ſuffragiis.

Non ceſſant fulgetra Sixti Pontificis miniſterio Cardinalis Gaetani Legati, Lutetiæ apud conſpiratos negotiantis. at quia Gaetanus regnũ ingreſſus non rectà ad regem in caſtra ſed Lutetiam conſpirationis centrum perrexerat, exclamat Princeps, ſcriptóque profitetur: non poteſt legari quiſquam Gaetane, niſi ad Maieſtatem. diuertis ab ipsâ, fugis oculos imperantis, me non ſalutato Francorum Rege irrepis: non es Gaetàne Legatus. ſunt in dictis ſtratàgemata vt in gladiis.

Intereà, Eques Francus Ducem Luceburgium ad Pótificem legauerat: vt potiùs curas Pater intenderet reconciliando Eccleſiæ filio Regi, quàm fauori factionis: quàm hoſtilibus armis & luctuoſis conſiliis explodendo Principi. ne bella Henrici tota ab immitibus Mulciberi o-

pificibus,& nuſquam ſpiritualia ſpicula cuſpide ſpirituali irritaret. Eques Francus, Principis conuerſioně affectabat ſanguine & ſeruitio promereri, non vt conſpiratus rebellione conſpiſſare domini pertinaciam. protexêre Catholici nobiles per aduerſa denſi, enſibus pilíſque fulciêrunt ſcandentem ad thronũ: & quàm in excelſa veheretur Princeps, è detrimentis quibus eximeretur, agnouit. vitæ, & hęc leuis: regni, & hoc mediocre: ſalutis ęternę, & hęc ſumma iactura fuerat. argumentum inde charitatis Catholicę, quæ pro ſalute ouis vnius, negligit ouile totum. ſic ſummis regni damnis redimendus qui populos regat. exemplum infrequens à Catholicis protegi Principem non Catholicum. fulminatrix Chriſtiana legio, pro Marco Cęſare non Chriſtiano nubes ſuſpiriis pre-

cibuſque armauit in Sarmatas. diffudit è caligine rapidam, voracémque peſtem, & per hoſtilia caſtra ſparſit cum turbine flammas. adſpice hoc quo non legionem, ſed iuſtos exercitus Catholicos vtiliſſimè certaſſe ſub nutu Regis non Catholici. militem orthodoxum Hugonotos ritus abominantem in Principe, pro Domini dimicaſſe principatu aduerſus orthodoxos. toruùm intuitus miles euntem in aliena templa Principem: amauit exeuntem, nec meminit ingrato loco redire regem, contentus meliora cogitare. non cogebat ad Catholicam fidem, ſed mutus ad pietatē inuitabat manifeſtis obſequiis, victoriíſque monſtrabat aditum ad pios cultus. cùm vincebat miles, è pietate ſuâ originem victoriæ profeſſus confutabat principis opiniones: Henricum geſto conuincebat,

proſperè prælianɫis obſequij pietatem ęmulari,

Nec ſolis gladiis, Principi viam ſecat ad cœlum gęneroſus Eques, eloquio etiam cœlos inuocat. Luceburgius ergò, interpres apud Pontificem ſic orauit.

Condemnas filium Pater, noſti quem filium? ſplendentem & ferocem armis, aſſiduo cóuictu comem, ſacrificij ignarum, at ſacrificia tolerantem: ſacerdotibus benignum, ſeriis iocíſque aptum & concinnum, ſic natum vt ardua quæuis amplecti poſſit, velléque optima. exiſtima regnum his deberi moribus: hos mores Chriſto deſtinari ſi virum erudis. moleſtè per ipſum Catholici pereunt, quos inuitus inſectatur, moleſtè etiam vincit, qui tàm facilè ſubiugat.

Optimum CHRISTI dogma, niſi in eximiis ſpiritibus ab ipſo Chriſto cóualuit: Apoſtoli aut nati egre-

gij,aut ab electione redditi. Catholicam applica pietatem electo ingenio, & quem armis nec tu nec Principes Europæi poteſtis debellare, vince tandem ſi meliorem facis. nam qui tibi Henricum vt exulem, vt deſertum, vt debilem mentiuntur, ſtruunt inſidias conſpirati ingenio tuo: falſa è longinquo liberiùs ad te ferunt, quòd examinare ipſa oculis non potes aut confutare, negligitur cuius latus cingunt ſex Principes, interque hos Auguſti, Contides, Sueſſio, Monpenſerius, quos ſecutus vix incedo ſeptimus. cui me porrò, conſpiratorum poſtponam opulentiâ domeſticâ, clientelis & vetuſtate originis? adminiſtrant caſtra famigerabiles Mareſcalli duo, columellæ imperij. non illi Mareſcalli, iniuriâ temporum, confuſis rebus, abſque auſpiciis creati, at ritè lecti, dudum laboribus aſſueti æquè & honoribus:

ſceptrum Mareſcallicum manu regia oblatum accepêre antequàm rex ipſe regni teneret fræna. caſtris aduigilat ſtrenuorum ducum, & legatorum decas: computa Giurium, Lanôem, Bironij natum, & ſimiles, quorum nomina Alpes tranſuolarunt, & in ipſo ſæpe Conclaui ſonant. venuſtant comitatum regium Marchiones, Barones, Comites: quicquid titulorum nominat equeſter ordo, Regem condecorat, celebribus ferreiſque alis. ſpectet mens tua Pater Principem totum in chalybe: Henricum affirma: & reſpuis quem tot Catholici proceres amant coruſci, illuſtréſque? tùm Sixtus. doleo condemnaſſe.

Decus fuit reo, è dolore iudicis: verùm lugubribus Eccleſiæ detrimentis, amorem Pontificis dùm vexat & ſuſpendit ambitus hoſtium

imperij Franci, moritur Pater. credebat ille Pater extincto Henrico hæreſim omninò nec ſtatim poſſe deſtrui: ipſo conuerſo ituros per regia exempla confeſtim plures in recti tramitem. idcircò obſeſſam Lutetiã nullis conſolatus ſubſidiis, nec vllâ ſtipe famelicos recreauit: & erat Lutetia magnum exercendæ miſericordiæ argumentum. nam vt aiunt boni authores, ab orbe condito, ſi Hieroſolimitanas anguſtias retices, nullę vnquam mortalitati ſtructæ pares. ſic oſtendit Pater vulneraſſe ſpiculo anathematis filium, vt argueret, non vt placeret odiis rebellium. mirum eſt Sixtum temperaſſe ab inſidiis & conſpiratione Ibericâ, nam illi Pontifici creando fauit, non ſolùm doctrina, profuerat Iberi Regis gratia. exiſtimo iungendis Henrici Sixtíque animis ſtuduiſſe bonam concor-

démque Lucinam:natus enim vterque die Sanctæ Luciæ.

Innocentius Pontifex ſtatim vbi Cathedræ Petri culmen aſcendit, propenſus erga conſpirationem,fouêre ipſam deſtinarat numis pluribus annuis.& ne careret factio conſiliis, prouidè Philippus Sega Cardinalium excipitur collegio.Sega Epiſcopus nuper Placentinus Lutetiam venerat ſub Gaetano Legato: de eo Farneſius ſcribens ad Philippum Iberiæ regem: non habes Domine, ſimilem Placentino Epiſcopo ſeruum. hic ſe ex cogitatione factionis optimè conformauit.ita Philippi regis authoritas Farneſiique fauor hominem Gaetanicæ legationi ſubſtituêre additâ purpurâ,pileóque flammeo. Tertia ergo fulgetra Gregorij Pontificis attulit Lutetiam Marcellinus Landrianus nuntius. & ſcripto

Princeps: quò vadis Landriane? teſtor directò veniendum ad me, & agis nil ſine me apud rebelles, qui præſens apud regem nuntiare debes & reuerenter. nihilominus torqueri fulmina procurabat Lutetiæ, Cardinalis Philippus Sega carus Ibero regi Philippo ſacri vibrator teli. verùm quia fulmini non credebat Henricus, fulmen non verebatur. ſic fulgetra Gregorij non tàm irritarunt Hẽricum, quàm arma & numi: ſiquidem Gregorius ære & Italico conferto milite iuuit conſpiratos expeditione Rotomagenſi. hoc loco obſeſſus Villarſes; dedimur Henrice, imus ad te ſi Catholicus appares: nó vis poſſidêre quos obſides, quia non ſis Catholicus. magnæ ſunt conuerſionis illecebræ: vrbis poſſeſſæ laus, totius belli laurus offertur. nam ſi fauente Rotomago, proximum funeri oſten-

oſtendimus Farneſium : certè hoſte vrbe, alterutrum non euitaſſet vincula aut lethum. quod intelligens Bironius ſenior; Fruſtrà vincis Princeps, cui poſt prælia depugnandi reſtant exercitus nouis bellis : vince teipſum, cuncta ſimul ſubiugas. excipit Henricus, Nondùm venit hora.

Argumentum ineluctabile, animi fuiſſe conuerſionem regiam, non ambitionis, non neceſſitatis : quid agebatur eo ſęculo non lacrymabile? ſecunda & tertia quę memorauimus Pontificis fulgetra apud Turones & Catalaunos vorata fauillis. dein quia nil cēſetur palàm fieri abſente Rege, iuſſit Senatus Landrianū regno clàm irrepentem vinciri trudíque in carcerem, ſi comprehendi poteſt. Ad hæc libellus à Philippo Sega Cardinale emanauit, de eligendo Francis Rege nouo conuentuum ſuffragiis.

incendebat Francos ad odia & faſtidium veteris, incõditi, & propè exoleti regiminis: melius inſtitutum recens, vtilior inuento nouo creatus Princeps. electum inſignem pietate Regem, ordinaturum Rempublicã. fauebat huic conſilio Clemens Pontifex, à quo tandem orietur omnis medela. ſcriptum illud in quo abuſus veneno mixtus, ſic locuti Centumuiri, legi Senatuſconſulto vetitum. iuſſa vrbs dirui funditùs, in quâ de electione agetur. dies Philippo Cardinali dicta, vt abuſum venenúmque Senatu coràm expurget. Senatuſconſultum præcepto Conſpiratorum Lutetiæ combuſtum. ita dùm ampliſſimus ordo Pontificis diplomata, dum conſpiratio Senatuſconſulta abſumit igne, quicquid tunc agebatur combuſtio fuit. diuina humanáque confuſa, dein ablata perdi-

táque.tractabant cuncta manus carnificum:ibant in cineres pietas & leges,dùm ſe diuerſa poteſtas æſtimat: illa ſcire quid ſanctum, hæc ſentire faſtigia iuris.

Inter combuſtiones vocatus Cardinalis, Epiſcopus, Abbas, Doctor, Carnutum venerat haud infrequens. tolerabat Princeps & ab exemplis reputabat indicere Synodos non vnius eſſe Pontificis. Clerus Francus eo loco pro maieſtate cenſet: anathemata Gregorij videt à Senatu nulla dici: legít iudicia, nec refutat. quidam à Clero ſcribunt reprobata anathemata,non in Pótificis odium, ſed extrarij æmuli animum Pontificium inuadentis. indignatus Legatus Sega,cœtum hunc Epiſcoporum intonans magnâ voce conciliabulum appellabat.nempe veteres comperi, Synodos minùs ſolennes à la-

trocinij imitamento leſtricas nominaſſe, qualis Epheſina cui præſes Dioſcorus: vel à falſitate pſeudoſynodos, qualis illa cui præfuit Theophilus aduerſus Chryſoſtomum. an æquæ & bonæ fuerint cunctæ Synodi horreo diſputare. miſerum eſt ſic intemeratæ Eccleſiæ maieſtatem diſperdere. medeantur luctui viténtque mala, Sācti Pontifices & Monarchę. Ioānes Burgundus, anathemate per ſubditos Pōtifices infeſtat Carolum Aurelianensē, itē Ioannē Alençoniū, itē Borboniū, item Engoliſmenſem, Philippum Vertuſium: hi per ſocios Pontifices reuellunt anathema, & in Burgundum celebri cęrimoniâ referunt. ſimili bacchantur crimine. nec iſtis olim licuit anathema prophanare, nec noſtris polluere leges vſu promiſcuo, & de ſacro ritu riſum facere.

Iam pręteriêre aliquot menſes,

cùm Lutetię conſpirati conuentus agunt: eò celerant Itali, Iberíque, rebellionis concitores de eligendo Francis Rege diſceptaturi: nam Hēricus ipſis nullus erat. conde tibi cōſpirate interiùs leges: tunc omnia tibi fauſta, iuſta, regia, cùm poteris rex eſſe tui.

Varij Principes diadematis ſuffragia promercabantur. Philippus Iberiæ rex candidatis cæteris opulentiâ & viribus præpollens: gratiâ etiam Pontificis abundans, cuius Legatus mediis conuentibus præfulgebat. quia Francorum vocibus terminabatur omnis ambitus; Franci quidam proceres dignitate inferiores, præualebant fauore gentis. nec abſque ſuffragiis fuit Erneſtus Auſtriacus. Mayennæus ad hos conuentus, Principes regios & Equites inuitarat. at illi: velle loqui, aiunt, de pace: non

Lutetiæ ſeu ipſam inter factionem, ſed cum hoſte in loco deſignato, nec hoſtili: adeſſe negant conuentibus, vbi non conſpiceretur, non coleretur præſes cœtus maieſtas, ſed quæreretur. ſi deſideratur maieſtas, vbi animum mentémque cõuentuum? vbi faciem ſplendorémque? phantaſma cœtum hũc rati vel ſpectrum.

Igitur dùm æmulatio certat in ſeipſam, variíſque motibus per conuentum conſilia gliſcit anxietas, Equites Franci colligatos ſcripto interpellant. per ius & ſacra quietis publicæ myſteria, venite in alloquia: communi conſenſu, ſi quis eſt veſtrę pietatis ſenſus, conſulamus de tuendâ religione Catholicâ. dùm infenſi inuicem certamus, non vigebit religio: polluetur odiis vel contumaciâ. Catholici ſumus vniuerſi qui Hugonotum regem tuemur, & abomina-

mur : niſi venimus piis modis in cõplexum, ibimus omnia confuſum & perditum. peribit pietas, ſi Catholicus eundem probat negátque. amicè ergò execranda diſſidia compeſcite, quæ tument inimicitiis: conſeruate vnà religionem, & obſeruate reges: nam apud nos, nouum quiddam eſt tueri pietatem, & auertere ab ipsâ Reges.

Conuentus abhorrent concordiam, Ibero, Italóque diſſuadente, negant cum Equite eſſe colloquendum, ipſámque odêre ſalutem.

At Tribuni Plebis Lutetianæ, ciuéſque optimi, comitiis in domo publicâ actis, preces Equitum iuſtiſſimas aſſeuerant : vtiliſſimam plebi pacem quæ bona decet. &, aiunt, rapinas, ambitionem, ſuperbiam arcet vna quies: ſedátque circa vitium imperioſa tranquillitas.

Conſpirati verò quia ſine ciue Lutetiano marcent, nec ſpirant, coguntur pacificis Tribunis vel placêre, vel aſſenſum ſimulare. erat enim Lutetia, prælargus pulmo quo factiones anhelabant. ſic totâ probante conſpiratione placuit, de quietis Francæ remediis cum Equite diſputari. meliora vident & probant.

A conſpiratis Legati conſerendo alloquio, Lutetianus, & Lugdunenſis Præſules, Ianinus inter togatos prudens. ab Equeſtri ordine prodiêre: præſul Bituricenſis, Beliurius, Thuanus, togati ambo. intercedit Henricus affirmans ſcripto, abſente ſe incaſſum agi: quietis publicæ curam nec pietatem exuiſſe: exponens ſententiam ſuam de medelâ mali inteſtina Reipublicæ depaſcentis. arbiter, inquit, eſſe debui vtiliſſimæ confabulationis. conueniunt tamen Le-

gati. locus colloquij Surenæ vicus: ibi propoſita varia,concluſum nihil: nam Legati colligatorum maluêre de iure loqui, quàm ſtatuere. de decreto tàm ſeuero & religioſo non poſſe paciſci abſque authoritate factionis: ſecretam colligationis mentem conſulendam eſſe aiunt: Lutetiam recedunt quæſituri reſponſa. at Eques indefeſſus non refugere, tranquillitatis gaudia vrgere litteris: inuictus tot pręliis oſtēdere,inuitũ ſe præliari &vincere dùm pacem ęmulatur. per nuntios à conſpirationis quos citaui legatis, efflagitare reſpōſa.muti conſpirati, melioribus probatis ſectantur deteriora:& cùm ferrea eſſe fateantur ſæcula, non reformant meliore metallo.

Timor ſub lege eſt mortalium pędagogus. opportunè Princeps pacis oſores vibicibus rigidè caſtigat: fu-

neſtam Bellonam in rebelles aſperat, ferreos viros non alio metallo quàm ferro diſſecans. dùm Surenica colloquia euaneſcunt, dùm conuentus de eligendo rege diſſonis diuiduntur ſuffragiis, facto non dicto opus eſſe ratus, Druideſſam Marte cingit: oppugnat, & dirutâ muri parte pugnat intra ipſum. accurrit ſubſidio conſpiratus exercitus, ſed quia videtur Princeps ad finem operis celeraſſe, nil audet protector Iberus, nil alij factionis Duces. ſpectant iacturas ſuas nec deplorant: vident mœnia cuniculis in chaſma adduci, premi, proſterni ad pedes vincentis Henrici. Angli quidam regij vrbicam turrim ſuffodientes, theſauros rimati, tumulo ſe æternùm cõdidêre. ſed hâc ipsâ ruinâ corruit conſpiratus, & ſemper diſcordiæ præmia vinci, ignominiáque. eâ obſidione Monpenſerio cre-

pitant ſub vulnere malæ: nam hâc parte,ſclopeti ferro tranſuerberatus. Sed quandiù iſta peragebantur, inutilibus apud Surenas dictis, vtiliſſimis apud Druideſsá facinoribus: inanis diſputatio & tota inficeti vaniloquij, de eligendo rege, admodùm negotioſos cóuentus diſtinuit. quæſtione gaudent ac ſi diſceptarent, an Seneca Neroni præferendus. verùm, eſt Seneca quis Francus? ſupplicat publicè vulgus in templis pro fauſtâ nouitate Principis: ac denique, auerte Benearnenſem Domine! reſpondetur ex alto, ſtat amor noſter pro Borbonio: æthera ne votis incaſsùm onerate.

Attamen apud ordines ſic orant Itali, Iberíue, ne fiat rex hæreticus, ſeu quod ſynonymum Borbonius, nam quiſquis de factione Iberâ, Catholicus.

Eligite Franci Principem : quia veſtrum abſtulit hęreſis,facite ſuffragiis.horrete perditum & hęreticum: Nam quem odiſtis Henricum ſacris exploſit Pontifex templíſque,& vos tectis thronoque eiicite. fingit ſe Borbonius regem & toleratis. qui vix regnet,etiam occidit anathematis ictus lanceâ:iniuria eſt poteſtas vel nulla quam Chriſtus reprobat. ecce tamen quem refutat Chriſtus, profert ambitio!in ardua regni, pietatis ſimulatio conuectat! vult enim doceri: quia hæretico ſcelere regnare nefas,dolo cogitat. ſpondet viam melioris doctrinæ ſequi : at fidem habebitis hæretico , ſi de fide ſapit hæreticus.videte ſtudium amplexandi Pontificem , quãdo per miniſtros ſuos Senatoriam purpuram mentitos apud Catalaunos Turonéſque , vbi Senatus Franciæ minùs Catholi-

ca ſeceſſio eſt, citat Apoſtolicæ Sedis flammeum patrem. quæ execratio diem Philippo Cardinali dicere? de numine diuíſque cognoſcat miles hæreticus, ſiquidem Legatum Romanæ Sedis vult edicto coërceri. Catalaunorum purpuram, Senatúſque figmentum Legatus Pontificis ad inferos ecce damnans tradit Sathanę Angelíſque malis. & quo furore Cóciliabulum Carnutenſe ſubornauit, vt in Gregorio fulminis abuſum increpet? quis tale mortalium affectauit, vt cœlo inſcribat leges? in cœleſtis iræ officia animaduertat? Marcellinus tamen Landrianus dicitur perperàm vſus anathemate. ſic Cardinalis Gaetani irrita diplomata. ſic venit à Pontifice quiſquis abutitur. furit ergò qui veneratur Pontificem: adhuc ſuſpicabitur veſtra credulitas cogitare virum de fide vel Petro?

intelligite Deum Petrúmque, vult iſte ab Deo & poteſt: ſi dominatur Pontifex diuino ſubſeruit imperio. ſed quia non viuit mortalitas abſque præſentiâ maieſtatis, recipite Franci Dominum, & ſi quem vultis per ſuffragia colite.

E contrà ſcripto: Princeps arguit conſpiratos. Natus eſt vobis Princeps, ô Franci, cur facitis? iubet lex veſtra genitis Principibus obedire, non agnouit electos, nil agitis. ſi veſtræ tandem fieri debent machinæ, nullo ritu, iure, cærimoniâ facitis. vbi primores Ordinum? religio Cleri, ſplendor Equitis, conſenſus robúrque plebis? vbi dignitas Francæ purpuræ & maieſtas? legitimi conuentus iſtis conſtant, & vbi qui ius habet indicendi? non vocati ordines niſi præeſt maieſtas quæ vocare poteſt. me non plebs temeraria, non ære

mancipata, ſeruiénſque nummo tranſpyrenæo nobilitas, non accita è Pado, Tiberi, Ibero, Bætíque, ſacerdotij peregrinitas, non reliquiæ polluti violatique Senatus circunſtant. ordinum me veritas ſtipatur: Francus Epiſcopus, gentilitius Princeps, eques indigena, & de plebe optimus ſine ſtipendio cingunt: niſi ſtipendia ſunt amor & veritas. non premuntur in caſtris meis auri mercenarij infamiâ, zonæ militares: iure & animo certatur. ſedeo in mediis purpuris ſanctóque Senatu, qui ſine me legitimus non eſt, & me lege tegit, nec vos tangit ſtudium Principis aut pudor facinoris? reſiſtit religioſis animis cultus meus? hæreticus ſum? ſic iubet hoſtis, hæresímque molitur ſeditio, fabulatur exterorum ambitio. docete Principé: qui eſt à Deo Princeps Concilio parebit non factioſo,

Pontificem venerabitur : voce me ſuaſúque agite,doceri volo, non ſeruili fuſte, loríſque duci vel impelli: volens propero. quòd ſi concilium publica repellunt incendia, non abnuo priuati conſortij familiare alloquium.Catholici me ſequuntur Duces,& horum religionem non afflixi ſupplicio,non coërcui voce,non abhorrui nutu. per Legatos ſuos pro me apud Pontificem intercedunt: amo Ducum ſtudia , & quamquam exterum vllâ causâ ſubditis affari non licet inſcio domino,crimen diſſimulo. non cultum tandem,veſtros odiſtis Principes.& vos & exteri, ne Pótificis inſinuer amplexibus , curritis obuij, moleſtíque oſculum paternum infringitis, Petri claues occupatis. oderit me ſeditio dùm Petrus amet.

Hæc ex vtrâque parte ſcripta & per-

perorata vacillat inter conſpiratos Regia querela: dubiis motibus conſiliiſque fatigantur ęgri conuentus, & extraneis & apud Principem ridiculis electione impeditâ multis modis:ſed hi modi non tacendi poſteris. Regij proceres ſcripsêre literas quibus tranquillitatis conſpiratos ſubmonebant. Mayennæus literas Legato Iberi Regis exhibet: at is nomen pacis peroſus, minatur confeſtim diſceſſurus ſi pacifica pagina conuentibus aperitur:veniſſe ex Iberiâ, vt aduerſus Henricum Galliæ turbentur: rediturus trans Pyrenem ſi vox concordię it per ora plebis. iubet Mayennęus apud frequentem cœtum minis contemptis Ibericis literas publicari.hoc ſpiculo lęſa conſpiratio à duce ſuo, poterat iſtud concipere: France non facies tibi Regem,vt colas illum.

Paulò pòſt meditatur Henricus ſidem orthodoxam, directus in ſemitam veri, probâque manu peritè ductus à Reginaldo Bealnio pręſule Bituricenſi & Renato Benedicto curione parœcię D. Euſthatij in vrbe. nec mora, Proceres regis comites monent totam conſpirationem, docent de piâ Henrici meditatione ſacróque conſilio. imò certi & ſcientes animi regij: Pollicemur, inquiunt, conuerſionem Principis ad Deum, conuertimini & vos ad Principem: ſi belli prętextus eſt viri hęreſis, ecce ſpondemus pro eius religione; reſpondete de cultu & obedientiâ erga ipſum. ſic vrgent conſcias mentes, ſic diuerberant.

At decoris propoſitis, facta rebellio rębellior. quęritur Phaethonta quemdam cui tradat rerum fręna, mundum qui miſceat incendiis. eo-

dem enim die deliberatum eſt in celebritate cœtus & conferto grege, non de reuerendo Principe, ſed de appellanda Ibera Infante, eíque dono tradenda Franciâ, ſi marito conſpirato Franco nuberet. Philippus Iberûm dominus, ſpondebat inuicem Infanti ſuæ fauore coniugij terribile, & aureum. dotalia arma: armatíſque Legionibus ſtipendij vice, annua duodecies centena millia numûm aureûm, donec cuncta ſubigerentur. titubat Francus ſignifer, Hercules niſi noſter polum ſuſtentaſſet.

Princeps hâc proteruiâ & feritate conſpiratorum lætatus, formàt & roborat de ſubditorum rebellione religionem ſuam: accingit ſe ad pij ritus venerationem: &, qui eſt apex totius hiſtoriæ, oſtendit liuori non ea ratione Catholicum reuereri, ſi ab

conſpiratis coleretur ipſe. religioſus etenim maximè apparuit, cùm repudiaretur pius: nec eſt eminentior pietas, quàm pietatem cùm vapulat amplecti, cùm lanceâ perforatur profiteri. ergo cùm factio alienigenam maieſtatem exquireret, Mayennæus mediis frequentibúſque comitiis, clarâ voce negat placere ſibi regis nouationem. fortaſsè viro diſplicuit dari ſuffragia in gratiam extranei Principis, deferri ius ſceptri extra Francos: ſensítque optimum, etſi repudiaretur Henricus, retineri Francorum maieſtatem intrà ipſos. prorsùs vt quidam medici malunt diætâ, potúque, & electis remediis, purgare ſanguinem & mundare intra venas, quàm foras mittere.

Neſcio quâ ratione euenit, dimeſſis pluribus ſæculis, redeunt ſimilia in mentes hominum propoſita, pa-

ria conſilia. Germaniæ olim exercitus rumpentes obſequium ergaGalbam, ſignificarunt prætorianis, diſplicere imperatorem in Hiſpaniâ factum: & hoc æuo, conſpiratorum potioribus horror eſt ex Hiſpaniâ dominus, licèt fœderatâ & conſpiratâ.

Secundum hoc & inteſtinum conſpirationis vlcus ex ore Mayennæi. ecce lethum à rege ipſo poſt quatriduum: dein funus à Senatu.

Puriſſimo ſacrificio adfuit maieſtas in oppido Sancti Dionyſij, vbi ſepulcra dominantium. factum diuina mente vt inter initia Fidei, qui pro regia certaret hæreditate, regum tumulos diſceret venerari, pios oſculari cineres, viuere in ſacris Principũ, ritus & ceremonias imitari quorum ambiret patrimonia. in hoc geſto nituit aurora tranquillitatis diſſipans

ægritudinum caligines, ſurgens clarum mane mundum intrans, latéque fundens amores, riſum, lepôres. celebriorem fecit cærimoniam Epiſcopus, quia creber, & densâ benedictione Principem irrorans.

Admirabili myſterio perempta conſpiratio, funerata eſt ante quatriduum ne nimium fœteret. nam triduò poſt Senatus pars quæ Lutetiæ inter conſpiratos reſtarat, intercedit pro lege & fundamentis reipublicæ: vt regnent Heraclidæ in Sparta noſtra, nec extra familiam Principum liceat inueſtigare dominos. at indignus imperio Princeps; quis iudicē ſe maieſtatis ferre poteſt, niſi qui maieſtatis reus? manifeſto exemplo apparuit Senatus, eſſe imperij Franci firmamentum. ideò qui de reipublicæ ruina conſultant, Patrum fas & ſacra rumpunt, minuúntque in

dies dignitatem tutelæ noſtræ. nam Fatũ eſt, ô Franci! cùm Senatui nulla authoritas, tum nullum afflictis rebus conſilium. anxium ea ætate pro republica loqui liberè & publicè: licebat ſecretò conſulere, & intra palatium commurmurare. non ſolùm ciues, ſed ampliſſimi ordinis præſides, ſi facit ſeditio reſtiones, quis cõuentuum ſententiæ contradixerit? obſiſtet nemo regum creatoribus. reperti tamen qui repugnent, ſpernántque ſalutem priuatam dum publicam periculo ſuo ſperant. diuinè facti præcipuus ſuaſor eloquens Duuarus.

Patres, cauſa calamitatis publicæ condita eſt apud Deum, remedium ſperate ab ipſo. nam dum quiſque humanis remediis opitulamur publico morbo, duximus rempublicam præcipitem in excidiũ: & quod

nullus priuatim cogitauit facere, fecimus cuncti. verùm ſi ſemel placatur Deus ad opem noſtram, præcipua auxiliantis numinis vtéſilia ſunt in vobis, Prudentia & authoritas. ſi quidem cùm eruunt hoſtes fundamenta regni, implorant ecce Franci leges veſtras, ducendi per ruinas à prudentia veſtra, ab authoritate inter ruinas confirmandi. verùm qui propè ſeruitutem ſunt, formidant à diſſimulatione veſtrâ deſtitui: diſſimulatis enim publica ſcire mala. at micant mala noſtra non tam in miſeriis ipſis quàm in virtute hoſtium. generoſa eſt Ibera natio, acquirendo diuitias virtutem non abiecit: ſolidat vires ſuas ad deſtruendos ęmulos imperij Francos. inuolat iura noſtra: & iam ſacrum rei Francæ conſilium vidimus haberi Lutetiæ, in domo Bernardini Mendoſę. ibi con-

ſultum eſt vinciri Senatum, ínque Baſtillam iaci: præſidiario Germano milite, dein Italo, Iberóque premi ciuem: ab Theologis de pulpito Legé Salicam palàm irrideri. auditus eſt Inigus Mendoſa apud confertos cóuentus diſceptans, de iure Infantis Hiſpanæ in regno, ſeu prædio ſuo Franco. legimus ſchedas Hiſpàni regis, queis mandabatur Hiſpanis quęſtoribus ſtipendium conuentibus & ſuffragiis erogare: at illas ſchedas medio Francorum cœtu legimus, non Francè ſcriptas. deliberatum in conuentibus euocari Infantem cui, ſi nubit marito conſpirato Franco, dos eſt ipſa Franciæ. neglecti eodem momento Henrici ſtipatores & eius conuerſionem ſpondebant. temerè concipi vidimus hæc conſilia: at funeſta conſilia: fons opinio falſa quæ factioſos occupat, poſſe in exteram

familiam transferri iura imperij, ſi populi conſenſerint. populorum verò aſſenſum legitimum exiſtimant, ſi legum magiſtro Senatu viuente, ſilente, annuente. iccircò vagatur ambitus per populos, corrumpuntur voces, regnátque hæc laſciuia, quia non diſſentire nequiſſimis ſuffragiis viſi eſtis ſilentio. oſtendite Patres nō eſſe corruptelis imperium noſtrum ad exteros tralatitium. poteſt Senatus, ſi negat eam eſſe conuentibus authoritatem: ſi vetat eo de facinore diſceptari. poteſt Senatus fręnare cōuentus: eius enim eſt vetare, qui potuit conuocare. experimur à quouis legitimo cœtu ſtatui nil legitimè, niſi Senatu comprobante: ſi iuſta vim habent à iure veſtro; quantùm corruptelæ, ambitus, periuria valebunt, ſi damnatis? actutùm damnate: nam ſi conſilia iſta Senatuſconſulto velo-

ciùs foràs euaſerint, inuadet vos hoſtis, perdétque. ſi Senatuſconſultum famam Conſilij præceſſerit, tunc improuiſo ictu conſternabitur ſcelus: & quò celeriùs, eò fortiùs & prudentiùs conſultum erit. cenſeo ego poſt meridiem, viſendum à crebrâ Senatus parte Mayennæum, monendum de roboranda lege Salica, quæ veſtra ſalus, quicquid Inigus Mendoſa declamet. at tu Prętor, ô Magiſter quietis publicę verba proloquere.

Conſpiratæ lux iſta nouiſſima parti. prodeunt è ſacro Palatio lecti Senatores, miſſi à genio imperij, per ſecures & arma incedunt ſecuri togati, ſpernunt laqueos. prę it vix maximus Ioannes Magiſter, princeps & verè magiſter ordinis. Mayennęum alloquitur de rei Francę principiis & ſtatu, grauiter, nitidè, intrepidè. non eſſe reges noſtros in voce mortalium:

quæ res æternùm Franci animi & Senatoriæ conſtantiæ memoriam conſecrauit. ſed has voces vigorémque Senatus excitauit audacia Principis, recénſque geſtum debellatæ nuper Druideſſæ, ſub oculis conſpiratæ factionis, quæ celebris factionis teſtis fuit non vindex. ſic ius armis, armáque adfuêre iuri, cùm inflammarunt Patrum animos, linguíſque eloquiũ dedêre pro victoria.

Specta quicumque rebellas quò vergant artes tuæ! fatigas Antiſtites, Eccleſiæ tela ſcrutaris, ſacræ Themidis os verbáque ſtudes promereri: rebellionem prætegis, affectáſque ſuadere populis, ſi decepta vel coacta Themis iuſtam eſſe dixerit. ſuffuratus ſacra tela iacularis in dominos, ſed hebeti cuſpide innocentia. ęmularis Idam Lynceúmque: hi Plutonis lapideam ſtatuam in medium Pollu-

cis pectus lancinarunt, verùm ictu innocuo. placatis enim Diis, amici ſunt Principibus Di non ſolùm, ſed amicæ ipſæ Deorum imagines: recreauit Principem portio ſeu imago Senatus aduerſus Principem conſpirata.

Omnis de creando rege diſceptatio, apud conuentus ſic finiit, vt fieret nihil. mutatas Orbis non ſenſit habenas.

Res conſpiratorum afflictæ: intus ſententiarum diſcordia, foris furore bellico: domi iterùm Senatu repugnante: nec aderat opitulator extrarius, vocatus decies, comparens nuſquàm. inter diſſidia, hæc fuit bonæ parti conſolatio, quòd ipſa vincente ſola mala ſternerentur. nam plęrumque ea certatur nequitia, vt vtraque pars victa vincénſque, paſſura ſit exitium. Cicero ſcribens Bruto, non af-

firmat de republica quam victores, negat quam victi habituri ſint ciuili bello. non ſic aleæ noſtræ iactus vtrimque damnoſus: ſuperante bona parte ſperauimus & tenuimus rempublicam, quam ſola poterat vincẽs rebellio profligare.

In tanto angore rerum conſpirati dolos texunt in Principem, atque iras cum fraude cogunt, quæ eſt vltima victis ſalus. nec eſt commodior fallacia, quàm dum ore ficto & ſupplici quietem ab Henrico flagitant, armáque exterorum intereà clandeſtinis precibus appellant. Princeps de tranquillitate interrogatus nec ſermones refutat, nec victoriis deſiſtit factiſque. ſentiebat enim hac fraude fieri verba de pace, vt feruentis victoriæ ferox vitaretur impetus, dùm nouum lectúmque quod ſecretò inuitabant, veniret ex Iberia auxi-

lium. ſexto tandem poſt conuerſionem die, trimeſtres inducias obtinent à rege conſpirati locuti nil, niſi pacificum. ſperant effrenem Bellonam his compeſcere habenis, quas vt firmiores reddant, ſic aiunt. non ſufficiunt induciæ: iungendæ ſunt dexteræ, pacandæ inimicitiæ, ſed conſilio Pontificis: & conſilio Pontificis reſpondet Princeps.

Pontificis non veretur ſententiam Princeps, etſi nondum propitij: nulla reformidat iura ſecurus iuris: illuſtriſſimum Ludouicum Gonzagam legat Romam. apparet ibi à conſpiratis nemo: excurrit induciarum tẽpus: fugiuntur per inducias irę Principis, dum fugit ætas. væ dicto! foris pacem elocuti creduntur iuraſſe ſecretò, ſe nunquam cum Principe cõuenturos, nec concepiſſe ſacramentum ſub conditione, niſi pontifex

firmat de republica quam victores, negat quam victi habituri ſint ciuili bello. non ſic aleæ noſtræ iactus vtrimque damnoſus: ſuperante bona parte ſperauimus & tenuimus rempublicam, quam ſola poterat vincẽs rebellio profligare.

In tanto angore rerum conſpirati dolos texunt in Principem, atque iras cum fraude cogunt, quæ eſt vltima victis ſalus. nec eſt commodior fallacia, quàm dum ore ficto & ſupplici quietem ab Henrico flagitant, armáque exterorum intereà clandeſtinis precibus appellant. Princeps de tranquillitate interrogatus nec ſermones refutat, nec victoriis deſiſtit factíſque. ſentiebat enim hac fraude fieri verba de pace, vt feruentis victoriæ ferox vitaretur impetus, dùm nouum lectúmque quod ſecretò inuitabant, veniret ex Iberia auxi-

lium. ſexto tandem poſt conuerſionem die, trimeſtres inducias obtinent à rege conſpirati locuti nil, niſi pacificum. ſperant effrenem Bellonam his compeſcere habenis, quas vt firmiores reddant, ſic aiunt. non ſufficiunt induciæ: iungendæ ſunt dexteræ, pacandæ inimicitiæ, ſed conſilio Pontificis: & conſilio Pontificis reſpondet Princeps.

Pontificis non veretur ſententiam Princeps, etſi nondum propitij: nulla reformidat iura ſecurus iuris: illuſtriſſimum Ludouicum Gonzagam legat Romam. apparet ibi à conſpiratis nemo: excurrit induciarum tẽpus: fugiuntur per inducias iræ Principis, dum fugit ætas. væ dicto! foris pacem elocuti creduntur iuraſſe ſecretò, ſe nunquam cum Principe cõuenturos, nec concepiſſe ſacramentum ſub conditione, niſi Pontifex

ſuaſerit. manifeſtis & ſimulatis negotiis eſt in ore, eſt in ſpecie, clandeſtina & vera coniuratione tacetur Pontifex: quod vbi ſuo loco dignoſcet, conſpiratos ipſe deſtituet. ſic iurat coniuratio, contumacior vbi debilitatur: animi peruicaces detrimentis obdureſcunt. apparet ſapientiam eſſe cœleſte donum, nec accipere quicquam à pœna.

Apertum hoc arcanum Principi, ne ſe ſubornatis ad peiora induciis pateretur decipi: cur fraudem non ſuſpicabitur quando ipſi illuditur Pontifici? quod vt conſpirati diſſimulent, excuſant Romæ certâ die non potuiſſe apud arbitrum occurrere: fallebat ipſos Iberus nec aderat armatus. nam dum auxilia conſpirati citant ad initium veris, quæ eſt hirundinum tempeſtas, differt Iberus; durate, inquit, & expectate cicadas.

decepti conſpirati, nec deſperantes auxilium, exclamant iterùm, pacem vel inducias: inducias bimeſtres ſupplicibus prorogat Henricus. per otia fluunt horæ: nil agunt conſpirati, obliuiſcuntur Apoſtolici iudicij: nõ adsũt pro valuis arbitri, furtiuis imò precibus lentam Hiſpani ſurdi opem ſollicitant: de induciis ſtruunt inutiles inſidias. vulgauit iſta Princeps, & quantus fuerit ipſe, diſtinctè ſcribit,

Cara eſt annona veneni, nõn ferri.

priori induciarum menſe, quidam inſtruxit ſe cultello feriendæ Maieſtati: vulnus aperuit in ore Principis parte venerabili, vt oſtenderet ſpernenda eſſe ora principum quæ mortales adorant. noſce Henricum vitaſſe dolos, ſed flagitia: inter aduerſa, ſed aduerſus facinora ad Principatum & pacem veniſſe. oſtendimus huius hiſtoriæ libris bellicis, terribili, armató-

que Principi ceſsiſſe Martem. at hoc, qui negotiorum eſt, libro, ecce apud Principem ridiculum conſpiratum Proteum, inanem Deum, ſeu toruo mutatum membra leone, ſeu ſerpentis ludentem formis.

Quippe nec aſtu decipi, nec exitialibus ærumnis penetrari facilis qui diuinitùs vngi deſtinabatur. exiſtimauit non ſat eſſe viuere Catholicè, quod eſt hominis, niſi benediceretur oleo vnctus ſacro, quod eſt Principis. apud Remos non eſt inauguratus, vbi oleum ros cœli: apud Carnutes benedictione ſacratus, in conſpicuo B. Dominæ templo, vbi Clerus antiquitate & numero venerabilis. fuit Carnutum antiquæ Gallorum cærimoniæ, ſapientiæ, camœnę ſedes ante Chriſtum. ęò traducitur è ſancti Martini monaſterio Turonenſi ſacrum balſamum: nec ritui defuit

cœleſte donum. nam Francia non vnâ parte ſui læta ſuperûm affectibus, fœcunda beneficiis, expromit theſauros è tutorum ſuorũm templis: quia Remenſem & angelicum liquorẽ occupabant conſpirati, præſẽs fuit ſalus populi è Martino: & meritò à Diuo tam benigno & propitio Turoniũ dixêre quidã Martinopolim. falſi conſpirati opinantur erepta nobis ſacra, initia, auguria, vſurpato Remenſi oleo: vt Romanis adẽptus Iupiter, poſtquam Capitolio incenſo, & ipſe deus dictus conflagraſſe. ſed apud Reges Francos vbique eſt diuinitas, nec cœleſtia ſuffragia eo loco inuocantibus ceſſant. ſic abſurdè credidêre conſpirati deiectum Tarpeiâ rupe Tonantem noſtrum, dum Remenſia nobis myſteria rapiunt.

Miraculum, tàm aduerſus eos qui miracula refutant, quàm pudor col-

ligatis qui regem nollent admirabilem. ſciant illi ſi non apparent mira in ſpecie olei, experiri nos non vulgaria in effectu. vidimus vngi Principem, humanum iſtud. vncto & benedicto Principi euenire proſpera innumera, mirari cogimur: nec iam ſolùm oculi oblectantur, mens afficitur. ſciant illi erectas res extremas noſtras à diuis indigenis. at hi qui ſciebant diuos, & diuos vidêre fœderatos, cur diuorum obliti ſunt, cùm regi rebellarunt?

Nouum hoc & inauſpicatò factum, regem apud Remos oleo non perfuſum ignari & idiotæ crediderunt: fouítque vanam opinionem ratio duplex.

Primò quòd Remenſe vnguentum è cœlo veniſſe creditur: nec it hæc fama incommodè. ſi quidem non eſt mirabiliùs è cœlo ad nos vſ-

que oleum quondam exportari, quã à Narciſſo Epiſcopo Hieroſolymitano ante mille quadringentos annos aquam benedici, ad vſus religioſos in oleum commutari. Hieroſolymitanus liquor non magis è cœlo venit, quàm noſter. vtrumque largitus oleum cœleſtis fauor, noſtrum miſſione, illud mutatione. nec eſt mirabilius mitti, quàm mutari. ſic non diminutum apud Sidoniam viduam oleum: ſic auctum apud mulierem obæratam: & hoc magis è cœlo venit, & illud non minùs eſt totum è cœlo. diuina liberalitas conceſſit obæratæ quod accreſcebat: dedit Sidoniæ quod etſi quotidie auferretur, non deſiderabatur. oleum verò deferri ab Angelis, ſimile quiddam eſt & eſurienti Prophetæ panem adportari, & ſitientibus iuſtitiã Francis liquorem aduehi. nam iuſti-

tiæ tam famelicos, quàm ſitibundos, neceſſe eſt abundare. ſed cur diuinus ille ros nobis per angelos miniſtrabitur, Prophetæ cibus per coruos? quid ſimile volucri fœdo & angelico? ſed cur hæredes nos teſtamenti noui, promiſſorum poſſeſſores, per Chriſtum reformati, Chriſto conformes, eiuſdem collocutores, comites, comeſſatores? ærumnoſus Propheta in triſti nube verſabatur: numerat in luce Gallia Lupum, Mamercum, Remigium, Eutropium, Anianum, Hilarium, & mille Præſules, Prophetarum nepotes, ſed maioribus maiores ipſis.

Secundò, Remenſi dignitati ſuffragatur vetus conſuetudo, vt Remenſis Præſul Reges throno ſublimet. at moris antiqui myſteria tranſiêre in priuilegium, eò religioſiùs, quòd eſt moris huius origo proba

& potens. dedit verò initium cærimoniæ Clodouæus primitiæ regalis fidei: vt quod ritè factum in primo, Catholicè ſeruaretur in cunctis. vtraque ratio ab exemplis refutatur. nam quicquid laudabilis cōſuetudo probet, neceſſitas irreligioſum eſſe negauit, ſi ſecùs fieret. nec enim Clodouæi nepotes, nec Pipinus, nec eius filij Carolus & Carolomanus, apud Remos conſecrati. Ferrariæ etiam, qui locus eſt in Senonibus nullâ antiſtitis Cathedrâ dignus, euexêre throno principem. citauit alia exempla generoſus & verè Francus Carnutenſis præſul. præſagiebat illi animus, Carnutenſes nepotes vncturos
„ aliquando Principē: diuinæ animę
„ in futuri ſapientiâ excellunt. non eſt diſputandum quo loco Princeps vngendus, ſed quo oleo: narrat vnxiſſe Dominus oleo ſancto ſuo Da-

uidem, nec locum memorat. vnctus ergo Princeps more maiorum rituſque abundauit & diuina & regia aſperſio: Remenſis etſi non foret. hoc eſt vnguentum, quod deſcendit in barbam Regis: hæc ſacri augurij myſteria minutim cognoſcenda, quibus conuerſus, conſecratus, conſeruatus Henricus ad Chriſtianorum ſolatia. qui Maieſtatis conuerſionem contemplabitur, pacificatos per mille anxietates aſtu miro populos, publicæque concordiæ ſecreta: fatebitur reges diuinâ mente frui, aut ab ipſa adiuuari. verum eſſe quod publicant, Minoëm toto nouennio cum Ioue fabulatum.

Poſtquàm publicatus eſt Henricus, Eccleſiam Romanam agnouiſſe, ac diuino rore hilaris verè regnare, venerunt turmatim ad obedientiam rebelles populi; ac velut auium ferè

omnium quæ ſociatæ viuunt, quælibet locos formidat inſuetos, erecto collo rem adſpectat, nouos aure ſonos arguta & tremebunda excipit: ſed aliquâ penetrante cunctæ inuolant: quod pauore & ſuſpicione diffugerant, faciunt exemplo. ſic vno conſpiratorum procerum regiis pedibus adlabente, & aliqua ciuitatum ad obſequij religionem præcurrente: fecit in cunctis æmulatio, quod ius publicum, vel ratio legis non obtinuerant. adhæc quia per præcedentes inducias, cupitus Hiſpanorum exercitus inania conſpiratorum vota deceperat: nam ex Iberia maturauit greſſum miles nullus, trimeſtres inducias produci flagitant. pertæſus Princeps toties ludum ſibi fieri, eo conſilio vt protractis induciis, ſperatæ tandem ex Hiſpanis irruerent copiæ, paciſci negat. Meldos & à Vitrio

ipſorum præfecto, obſequij quietíſque publicæ felices primitias, Lugdunum, Aureliam, Biturigam: Caſtræum, & quoſdam proceres ad officia pronos: Pontæſiam, Lutetiam, in ſe recipit.

Exceptus vrbe à Briſſacio Princeps, menſe Martio, ſole dies per arietem dimetiente: fauentibus Deo bellico, & ſigno poliorcetico. nam Lutetianos à factione conſpirationis cùm reclinare ad regem Mayennęus ſuſpicaretur, impoſuit vrbi potens Hiſpanæ militiæ præſidium: quas habenas præſente ipſo morſicantes ciues, abſente tandem excuſsêre. prima cauſa ægri & improſperi Galbæ imperij, fuit introitus in vrbem inductâ legione Hiſpanâ, exercitu inſolito. exulcerauit animos Lutetiani populi, auertítque à votis noui, & per aliena parati imperij, triſte ſpe-

ctaculum, Hiſpana acies: nec familiaris Bellonæ.

Spontanei quidem populi ſuccedunt dominationi Principis: ſed proximo prçſentíque terroris exemplo, inuaditur voluntas. nam obſeſſa Laoduna tormentorum ictibus verberatur: aduolat Hiſpanus, tonante machinâ compellatus ſuppetias. fauet auxiliis Mansfeldius, audens ſubiugatâ nuper Capellâ munito loco, ferente hanc moleſtiam præſente, & in vanum minace Principe. creber miles offertur Laoduno: ſed poſt iugulatos mille quingentos, cæteri diſiecti, triſtia verba ferunt ad Mansfeldium. regiis manibus vrbem reſignauit, Carolus Emanuel Mayennæi filius.

Redeuntibus ad officia multis populis, ſplendent apud Principem animi verè Catholici notç, ad Eccleſiam

conuerſus, dein conſecratus, vult poſtremò à Pontifice abſolui: nam probè cogitat de futuris annis, qui præteritorum delictum exhorruit. ſic Iulius Philippus Cæſar, tum demùm exceptus eſt in Eccleſiam, vbi confeſſus. non ſufficiebat Cæſari Chriſtianam in poſterum vitam vouere, niſi antecedẽtem fateretur paganiſmum. Henricus exiſtimauit Chriſtianum dogma perfectè profiteri, in cõfeſſione prioris errati: at ius abſoluẽdi apud Præſulẽ eſſe didicerat. Gallorũ dominus à Gallo & domeſtico Præſule. is ſtatim poſt quartum ſæculum, ſcribens ad Polemium præfectum Galliarum, de differentia politici ſacríque magiſtratus: ſic fatur. vt is qui propria vobis non ta-
„ cuerit flagitia, damnatur: ita no-
„ biſcum qui eadem Deo fuerit cõ-
„ feſſus abſoluitur. nobiſcum? exce-

„ pit Henricus: confitendum Deo, indigena me Pontifex monet & vetus, ſed cum ipſo.

Confiteri verò cum Pontifice Romano ſeu cum Petro auguſtius credidit, quàm cum Andréa, ſeu quouis alio Pontifice. nam tunc primùm Dominus Petrum viderat, cùm di-
„ xit, *tu vocaberis Cephas*: nec præcedenti comitatu vel obſequio, meruerat filius Iona nouo illuſtrari ti-
„ tulo. accipe præmium Petre ante
„ laborem: laurum geſta ante certa-
„ mẽ: in principio ſtadij gaude bra-
„ uio: accipiat Andreas, cùm ad me-
„ tam peruenerit: vt tibi prçmij prç-
„ rogatiua, ſic iuris eſto poteſtatiſ-
„ que, præ cæteris Apoſtolis eminẽ-
„ tia. eſt hoc, tu vocaberis Petrus,
„ prœmium ad illud, tu es, & ſuper
„ hanc petram: eſt præfatio futuræ
„ poteſtatis circa cœleſtes fores. illu-

ſtrior hæc prærogatiua, quod non ei
„ Apoſtolo qui prior apud Chriſtum
innotuerat, ſed electo data eſt. Andræas enim iam Chriſtum agnouerat, cùm frater Petrus ignoraret: cùm Petrus ab Andrea velut catechumenus quidã introduceretur ad chriſtũ. hic Andræas Apoſtolorum eſt tuba, hortator agminis, prima Eccleſiæ columna, petra ante Petrum, nec dicitur illi, tu vocaberis Petrus. fundamenti fundamentum, nec ad eum ea
„ vox, & ſuper hanc petrã: initij primitiæ, fratri priuſquàm diſceret vitam reuelauit: fratri tamen nouo apud Chriſtum homini tribuuntur pręiudicia poteſtatis. tantùm placuit Domino ſola Petri facies. diuinè ait
„ cœleſtis ſcriptor Ioannes, Intuitus
„ eum Dominus: nam ex aſpectu
ſolo non ex eloquio, nouit Petrum eam eſſe Petram quam deſtinarat

Eccleſiæ fundamentis. prorſus vt ædificator diſquirens inter aceruos lapidem vnum angulo ſolidando aptum,exultat reperto,& exclamat:
„ Diſponite mille, & iſtos mille in-
„ ter latera, ordinéſque parietum:
„ hic verò eſt qui funditùs ex angu-
„ lo fulciet vnus firmabítque do-
„ mum. ecce Petrum ſocios excellentem, electum à Chriſto, vidente ſocio, non inuidente fratre. tantò delectat Petrum alloqui quàm Iacobum Andreámque.

In nobiliſſimo Principis geſto ſcribendum breuiter fuit non ſolùm quanta fecit Princeps,ſed quàm optimé.Excelſus ergo LudouicusGonzaga proficiſcitur Romam,Pontificis amorem flagitans. Annuebat Pater filij votis, ſed turbat Clementis cor paternum hoſtis ſuſurro, amicitiis inſidiatus. nec iam cogitabant

Hiſpani throno principem deuoluere.non enim gratiâ valebant cùm expellerentur à Francis: nec pollebant viribus,qui oppida pauca &ſolùm in margine regni occupabant: quippe verebantur vltionem offenſarum, quò validior Henricus erat qui rerum potés formidabatur: quò futurus illuſtrior, ſi clareret nexu & amicitia Pontificis. iccircò impiè damnant apud Clementem, piam regis pœnitentiam:linguam iuratam habere, non mentem: aliud in ore promptum,aliud in corde latens.itaque Gonzaga poſtquam nil impetrat: Vale,inquit, Sancte Pater. armatum principem Catholicum amare negas: armatus verò princeps tunc ſolùm pugnare deſiſtet cùm erit per te pacatus orbis. ſic fateri neceſſe eſt Eccleſiæ armis Eccleſiam oppugnari. Poſtremò ſuſcipit

pit hanc conciliandorum animorũ expeditionem Perronius, Romam pergit, quæſtionem agitat, fit ſacro in Conſiſtorio diſſidium: mouit peritos facundi Perronij induſtria adminiſtrantis Romæ totum hoc negotium, amoris Apoſtolici. liuorem contrà certarunt ſuffragia ſcientiæ. Cardinalis Toletus eximia doctrina & mente Chriſtiana illuſtrior quàm galeri rubricâ, immemor odij patrij, poteſtatis Hiſpanæ, mortalium rixarum irreuerens, dicto ſtylóque factionem conuulnerat. cenſe inter rerum miracula, non ſolùm arma debellata rebellium, ſed ex hoſtibus optima claráque ingenia, non vi ſubacta, nó corruptelis emollita, verùm virtute conciliata, pro diuinis fuiſſe „ ſpoliis: nam ſuperûm eſt compa„ rare corda. ergo diſciplina ſternit inuidiam: pater motus grauitate &

doctrina dicentis Toleti, pœnitentem filium oſculatur.

Cùm Pontificem Patrem nominaui, Regémque filium, Chriſtianè feci, & quod faciebat Princeps ipſe. nam verum eſt ab Conſtantino Metrophanem almæ vrbis Præſulem, vocatum non alio quàm Patris nomine: & ab Metrophane non aliâ voce quàm filij Cæſarem appellatum. id feciſſe Metrophanem iure ſuo: ídque Conſtantinum, vt decebat optimum maximúmque Cæſarem.

Clemens Pontifex præfert in vitę morúmque breuiario, pacatum orbem, Poloniam ſedatam, amatum Henricum, Franciam Petro conſeruatam. verum magnúmque ſacerdotis opus quandò, quod fecit Chriſtus, principis meminit. atque vtinam ſic egiſſent qui rigore poteſta-

tis dum ſperant domare Reges, ad contumaciam vſque exaſperarunt, vnde profugi multi ab Eccleſia populi. apud quoſuis mortalium rectores, ſi leui cauſa ſuboriuntur iræ graues, acerbitas demùm iræ ruinas affert nuſquam leues. ſic iuuenis equo Arabico ſpoliatus à Ioanne Comneno, & is fratris filius; æger mediocri iniuriâ, Chriſtum iuueniliter & inſanè abiurauit. deploratum toto Græco dominatu, firmari ab offensâ leui Turcorum parte Auguſtæ perſonæ acceſſu. Clemens igne modico ingens non ſuſcitauit incendium. Patris virtuti redditus honos ab omni gente: Ruteni ſubmiſſi Petro: vidit bonum iſtud Chriſtianæ Sion, excepítque ab Aquilone vndè, aiũt Prophetæ, cuncta mali labes. ac vt ab Oriente venêre Magi, hic ab Eoâ Alexandriâ properare Romam Ga-

brielis Patriarchæ fauſti nuntij adoraturi Petrum. vetus illa fœlicitas imperij Romani, vt non ſolùm prouinciales gubernarentur Romanâ lege, ſed qui extra fines eſſent, rumperent etiam clauſtra imperij, vt obſequium ſuum exponerent Romano foro. peruenit illa fœlicitas ad Clementem, quem ſcripſi vt partem vi-
„ tæ regiæ: ſiquidem optima pars
„ vitæ mortalium, eſt amor.

Varia fuit Francorum opinio de principis dogmate, etiam poſt Clementis patris nexum. putarunt quidam ad fidem illectum, regni occupandi fiduciâ & votis. quippe proclamaſſe conſpiratos proceres, non aliâ ſub lege ipſi parituros. paruiſſe regem ſtudiis imperij. alij veniſſe ad fidem ſeriò, quia causâ cognitâ pœnituiſſet: non cùm tenuis paupérque victus apud Aquitanos: non cùm

obſeſſa ſalus apud Arquas: non cùm ambigua apud Ibericum: non cùm erro vagaretur per prouincias nec alienas nec ſuas, ſub Ioue, domicilij exſors. intellexiſſe fidem cùm rebus non incauta fides. vrbibus debilitatis, extraneorum ſubſidiis debellatis, præliis confectis, ſublato Farneſio, languente ciue, & propè miſericordiam quiritante. quando conſpirationis duces imbellibus nutarent copiis: ipſe ſtrenuo milite, generoſo nobili, & vtraque ſtipatus militiâ victoriis aſſuetâ, iura ſæclo daret. timeretur irritatus: nec minus celebritate nominis, & opinione virtutis diſtineret exteros, quàm ſubditos. iuſtas & ſolas à Deo conuerſionis habuiſſe cauſas: ex aduerſis cœlo dediſſe gloriam non gladio. Henricum ecce dicto factóque, nec ſimulatè Catholicum.

Circa conuentus Rotomagenſes agenti apud Gallonium obtulerunt Hugonoti ſupplicẽ epiſtolam Principi. & inter cętera oratoriæ artis ſo-
,, phiſmata ſic ad ipſum. Degis, Do-
,, mine, inter nos, & ſic credimus:
,, detinent inimici corpus tuum, vi-
,, que vſurpant: tota mens noſtra
,, eſt. verè mentimini, inquit Prin-
,, ceps, qui me hypocritam falsò ar-
,, guitis. cum dicto, manu vtraque perrùptam ſupplicem paginam huc & illuc diſiecit: hæc ex appendice ad Genebrardi Chronologiam.

Iam eſt Henricus non è bellicis geſtis, vt vanè putant, ſed è ſacra conuerſione dicendus Magnus, Magnorum cauſis abundans: at cauſis omnibus quæ è geſtis ſunt ſuperior: iccircò Pompeio & Alexandro Magnis maior. nam de Alexandro, ad Antipatrum ſic locutus ſcripto Ari-

„ ſtoteles : Non ſoli Alexandro,
„ quod latè dominetur, ſed cuiuis
„ rectè de Diis ſentienti, licet eſſe
„ magno.

Exiſtimaui vtilius, hanc materiam vnà digeſtam tractare, quàm confundere per totam hiſtoriam, & per fruſta diſſipare. nam qui minutè diſpergit rerum ſeriem, res diſperdit ipſas. compoſita verò materia quàm diuiſa, magis docet, delectat, claret: vt diſperſæ ſtellarum flammæ mille minus illuminant, quàm Solis vnius densè collectus fulgor. ad hæc per res tot diſperſas, eſt variegandi ſtyli labor immenſus, rhetoricus, iniquus induſtriæ meæ. ſtylus etenim ſi non diſcriminat, ſed vniuerſa pariter exſcribit, informis eſt & inanimis: ſi in frequentiori & repentinâ rerum varietate fit diuerſior, plærumque amfractus, aſper, præceps eſt. in,

ſimili verò & æquo tramite, rarò caducus ſtylus res quas ſcribit, celer ſectatur ipſas.

LIBER III.

POST obitum Farneſij, languet Mars lentior ad certamina. ſeu quod amiſſo duce, & deteriore apud Iberos militari induſtria, quæretur dux alter cum Henrico conferendus: ſed quòd Iberici Imperij vires ſolidas, dux ille exhauſerat, ſuccumbente Marte ſub tanto viri onere. nam deinceps, dux nullus externus, Gallias auſus penetrare, ſolum hoſtis infamauit limitem: longo etiam poſt Farneſium ſpatio, exercitus nullus Henrici præſentiam ſollicitauit, feſſis rebus, tepeſcente audaciâ. tertio tandem anno, comparuit in Sequanis Velaſ-

quius,apud Fontem Francum, paulò ante gratiam Clementis Patris. facinus hoc loco Achillęis certaminibus adæquandum: cui ſimile nullus patrauit Heros, niſi forti quodam deo comite.

Princeps occurſurus conſpiratis, ſocios ſibi deſtinat lectos mille equites:nondum ad locum deſignatum cuncti venerant, & Henricus cum exploratore, atque nonnullo expedito implicatur repentinis hoſtibus. ratus non eſſe hoſtes tam vicinos & confertos:Mayennęi turmę iſtę agentis primam aciem. recedere ignominioſum, certare manifeſtè periculoſum. leui alâ princeps diſſipat agmen hoſtile ingens: ſuccedũt alię conſpiratorum turmæ, nouę gladio meſſes. intrat ipſe cuneos: equites paulò minùs bis mille frangit:nec ſimul ſed cateruatim affligit,

diſtinctâ in turmas cęde, vt ſe ſingulę feriéti obiecêre gladio. proturbat Eupręuio Bironio caſus in omnes, Euryalo & ſocio. imminet cędi cædes theatrali ſpectaculo, prę oculis Hiſpanarum legionũ. Velaſquius apud Philippum regem Comes ſtabuli diſcrimina videt è ſecundâ acie; notátque Mayennęi alas certare cum inſperato principe, nec ſe furiis immiſcet. noſcitur princeps à proximis nudus faciem: tametſi caſſide opertus fuiſſet, ſatis enſe prodebatur. ſi qui de periculo ad Hiſpanum, ſecundámque aciem veniunt, interrogati quis dux infeſtorum agminum? „ Princeps, aiunt: Francus? hercule „ princeps. Henricus ergo ruinam „ in nos verſat, & ſtamus? adeſt quẽ odimus, & tamen continendæ ma„ nus. at Velaſquius ad ſeipſum: fal„ lax me Mayẽnęe iubes, fulminibus

„ & ruinæ ſuppoſiſtum præſtare „ caput. belligerans Iphicrates, ve- „ reor ignorent hoſtes adeſſe Iphi- „ cratem: tantùm turbauit Hiſpa- „ nos Henrici cognitio. ſi gentes ex „ auditu ceſsêre tibi Princeps, ſpecta „ cœlos. trecentis equitibus nec vnà, ſed diuiſis inter trecentos dimicationibus & turmis Princeps agit has furias in aduerſarios: ardet, flammas ciet in conſpiratos Herôem exhibet, peruadit certus incerta pericula. acceſsêre ſerò ſeptingenti equites: laudem immortalem fecêre Regi quod præſtò & ad dictum non veniſſent: vicit ſolus.

Experire ex hoc geſto verum A- „ riſtotelis dictum: quæcumque na- „ turæ humanæ horribilia eſſe forti, „ vt homini. ſed non eidem homini terribilia, vt forti. verùm quia fortis etiam timet, in audaciâ, & in timore

agens temperanter : geſtum hoc Principis audaciæ tribuam vel temeritati dubito: certauit enim, vbi multa ipſi forti timendi ratio. poſtremò ſi iſtud & tale dimicare, eſt temeritatis. victoriam eſſe non ambiguæ diuinitatis, haud temerè cogor affirmare.

Quærenti cauſam ferociæ, quæ ſupra fidem : nam auſi vix tale Di Troianâ lite: non ſubit alia, quam inanè falſóque hoſtes opinatos, latêre poſt regem in vico inſidiatrices copias. non credere tam præcipitem & cæcam viri cum paucis audaciam, ni auxilium proximè ſubſediſſet. quantum eſt bellorum in opinionibus! euenit facto Mayennæi : is ad recreandos Sequanos ſuos per Bironium occupatos, vt opiferum faciliùs Velaſquium excitaret: diſſimulauit regis præſentiam, texit hoſtem.

ſingens in diuerſo regni margine Principem remotis pugnare locis: ſolum Bironium prouinciam inuadere: paratum à duobus opprimi. itaque formidatum Hiſpanos non declinauit Ararim: ſuaſus ſecreto & arte Mayennæi ad Sequanos properauit. deceptus vterque. Velaſquius abſentem putans bellorum magiſtrum: futuram Mayennæus pro multis victoriam.

Hic ordo abeuntis odij. eques conſpiratus turmatim & diſtinctè porrectus, velut vnũ idémque corpus diduxit brachia: ſi funderent noſtri, minabatur amplexum, curuans à medio vexillationes in cornua, ſícque in ambitum laxans. medius noſtros inter, Hiſpanúmq; peditẽ, ſed pediti Hiſpano & refugio propior, æquo paſſu ſenſim deuexus ad receſſum. dabant nobis cuneorum inter-

ualla velút feneſtris, proſpectum ad interiora, vt diſpici à rege poſſent repedantes Hiſpanæ legiones in tuta. ab equite pedites tegebantur, & eundem ſequentem firmarunt, qui defendebat. poterant emiſſi per interualla velites ſe pugnis inſinuare, iaculari metum, expeditè redire ad ſuos.

Per decliues campos vadente hoſte, cuncta è conuexo. Princeps inuitus, non ſine mentis æſtu notabat: „ nam inter hoſtes non ſine aliquo „ dolore eſt innocentia: & hilareſ„ cunt inimicitiæ ſi ferunt iniuriam. ſed euadere paſſus, quem nequiuit perdere legionario robore, nudatus: manet ipſe in ſpoliis; & admiratione facti: exultat victor arenâ: luſtrat expeditionem, laudátque.

Per ſequentes dies nato recentíq; terrore vſus Henricus, minoris Burgundię cuncta diſturbat, Iberos per-

populatus, nec eâ prouinciâ exceſſit, niſi ingenti ære ad ſumptus bellicos multatâ.

Effuſam lætitiam temperauit, Picardos incurſans Fontanus munimentorum ſubuerſor, dum vagabatur Henricus in Sequanis mortalium profligator, remotas à Rege partes, totum limitem infeſtauit, terrorem fundens per populos enſe Principis nudatos. Dorlanum per murórum ſtrata ruináſque inuadens cæſo præſidiario, multóque nobili: Villarſe Amiralio animoſa ſed infœlicia ferente auxilia, mactato extrà certamen. odit Mars, ſæuus etſi, ſicarios: ſed cùm ſuos moderari non poteſt, mentibus rabiem injicit, infamem pœnam. Caſtelletum, & Cameraca inuaduntur, loca munitiſſima. nulla res plus admirationi fuit, quàm poſt tot Henrici trophæa reperiri hominem,

nem,qui abſente licèt Henrico tantâ alacritate belligeret. ſtupor intimos populos oppreſſit, & quia nil tale ſperatum, de futuro anxia iudicia.

Poſt hæc vtrimque geſta, paulò fatigatus quieuit miles. etſi ex omnibus ferè præliis, & victoriis Principis, multo cruore tincta laurus reportata eſt: inter innumeras tamen obſidiones, rarò conſperſit manus ciuili tabo. paucas enim vrbes vi cœpit, omnes propè recepit deditas: vicit mentes obſeſſorum. ciuili bello, nulla obſidione adeò opere certatum eſt, quàm apud Feram, vbi poſt aliquam quietem ſopitus Mars cœpit expergiſci. at potens Albertus Auſtriacus circa Morinos diuerſa parte, in vltimo Oceani littore, minaci cuncto limiti, inhiare vrbium prædæ abſente Principe. Princeps in anxio eſt: ſi Alberto occurſat, po-

tiundæ Feræ ſpem dimittit: ſi obſidioni immoratur, Alberto permittendum vrere, rapere, Caletum opprimere: ſic ab hoſte Caletum occupatur. ægrâ etiam de Feræ obſidione militiâ noſtrâ, Arduras raptim Albertus inuolat: damna compenſantur.

Feram protegebat Aluarus Oſorius: bis conſolari obſeſſos conatus eſt Hiſpanus: priora ſubſidia fracta, poſteriora oppido inuecta. arduum munitionem tormentis ſemirutam inuadere: naturâ ipſam armat Princeps aduerſus Hiſpanum, ingentíque opere adlabentes mœnibus aquas intrò pellit, de oppido molitus ſtagnum. huius inundationis authór Beringus Principis cubicularius. arma natant periura, madet acer Oſorius. recens Principis munitio vel aquis liqueſcens, vel inundata ſupe-

ranti gurgite, effrænes vndas mittit in agros & caſtra regia. ſic impatiens habenarum elementum ſeuit in domitorem cui ſeruit. tabernacula immergit vel ſternit, recedentíſque talos militis premens, & per ſpatia ſequens diluit. quia communis ærumna fuit, gaudebat Oſorius elemento diù fatigari, poſt quintum menſem deditus. Adfuit huic obſidioni Mayennæus in vota Principis reuerſus. itaque cùm omnes Franciæ populi, exceptis Nanetibus quos detinebat Mericorius, regi acceſſiſſent. cùm ipſe factionis dux ſeditionem abiecíſſet: tunc deleto colligationis rei iniuſtæ vocabulo, omnis iniuria furore tralatitio verſa eſt in Hiſpanos. & in hos Carolus Bironius repentè impreſſionem fecit: traducens peſtes & mala in Atrebates Belgáſque: vaſtat, incendit, cædit. omne latrocinium,

quoduis militaris inſolentiæ lucrum eſt ſolius militis: deſtinatur verò non militi, ſed ipſi Bironio præda diues Varēbonius, quadraginta millibus numûm aureûm cuius eſt empta libertas.

Hiſpanico bello præter ſuſpicionem, & inexcogitatâ priori æuo audaciâ, molitus eſt Teillius Portocarrerus Ambianos intercipere. è Nauarrâ olim Vaſconum ſede, homo Pampelonenſis: Portocarrerij alij per Iberiam inſigniter ſparſi. quatuor milites ſub portas gliſcunt, trahúntque in vrbem è proximis cohortibus hãc ruinam. ſic leui ſurgente papulâ aſperior vomica creſcit, ſqualens putredo, ſerpens ex eâ vlcus enorme membra fodit. facinus hoc pluſquã bellicum: præda inæſtimabilis. vrbis timetur dominus, inexhauſtæ opulentiæ poſſeſſor, regiæ annonæ gazę-

que diues, heri paratæ ſubiugandis Belgis, hodie reprimendis Francis. ſed limitis arbiter, per regiones vniuerſas quas Sequana & matrona læti circumeunt, daturus incurſum. fræ-num hoc Sueſſionibus, Medis, Bellouacis, ac inter oſtia Somenę Sequanæque vicinis cunctis. trames in Belgas Franco interclufus: Atrebatibus, Neruiis, Morinis ſecuritas.

Vt Ambianis inſidioſè occupatis nil Franco triſtius, nil celebrius vi receptis. tota expeditio quinque menſium fuit. Carolus Bironius obſidionis initia gubernauit pauco fretus milite: ſeptem millia tunc reſponderunt ad nouem, & quatuor millia mœnibus claudebantur. totam deinde belli fortunam rexit, & venerũt in caſtra Principes, Duces, coronæque Francæ Magiſtri ſeptemdecim. præſente Maieſtate imperans, Lega-

tus in caſtris principalibus dictus. ſummus honos, rarus ſub oculis regiis, nulli ante Henrico Principe cõmunicatus: ſed cui, ſi quidem abſente Bironio pares multi, ſolus inter multos cooptari dignus.

Vrbs obſeſſa; populo vber, & quæ cum floridi nuper iuris eſſet, plura millia cenſeret ætatis militaris. omni humano opere munita, inſtructa machinis, Bellonæ monſtrum. Somena fluuius, diductis riuis interiora complexus inſinuat. cis fluuium opus & ſeueriores vigilias non intendunt noſtri, quippe hoſti infeſta erãt & ſæua regionis per ſe cuncta. locus inimicitiis ſatis, ille vrgebatur. vlteriora verò Atrebatibus obuerſa, & opere & frequentiâ militis indigebant. nam campus in Atrebates excurrens, faciles aditus ſubſidiis hoſtilibus aperiebat. igitur eam regionem

cingit miles noſter, ſternítque fluuiũ pontibus, neceſſaria exportans communione ripæ, firmat aggeribus. ibat valli Caſtrenſis gyrus per locorum aperta, ambiens obſeſtos, ſuperiora fluuij cum inferiori parte nectens. caſtra verò erectæ quinque arces præcipuæ ſtringebant imminentes vrbi, foríſque minantes extero. ipſæ traductis per planitiem perpetuíſque reuinctæ foſſis totam munitionem ſolidabant. hoſti ſi maturaret ad auxilium, niſi perrupto vallo, intérque arces, inſanè penetrandum manifeſto exitio. funere infamis obſidio pro loci bellíque famâ. clauſus miles fidus, multis periculis cognitus, flos Hiſpanæ, Italæ, & Vuallicæ diſciplinæ. vt rarò effūdit obſeſſus Hiſpanus ſic fortiter & gnauè. intercepti ſpeculatores, proturbatæ noſtrûm excubiæ, mixtúmque militari

ſomno ſeu negligentię lethum. è caſtris exciti ſparſim eques, pedes, confuſi noſtri celerant: ſæuè excepri, à parato nec turbato hoſte. fit ſtrages quorundam nobilium & tribunorum: ſed vt generoſę ſemper animę inuidię fati tributa pendunt: Hiſpanus Mendoſa cadens, luctus conſolatur noſtros.

Vſus Francus arte nouâ bellandi per inſultus non obiicit militem temeritati cædis. tormentis frãgit munimentum, dein vallo ſenſim producto, hoſtilis foſſę labris irrepens, ipſáque oppletâ foſsâ, & diſcerptis ferè adęquatâ muris, deplanans pandénſque aſcenſum nouis foſſionibus, opere tectus inuehitur faſtigio. manus attiguę, interpungunt ſpicula: pudor eſt bellíque crimen non ire mutuò ferrum in corpora: colloqui hoſtes poterant; ſigna ſupra munimentum

triumpho ventilantur. miles ex edito ſuperbus, hortante Bironio vlterius inferendum ratus impellitur. Hiſpanus dolum olim concinnans, poſt ſumma propugnaculi pedem referens, vicina ſecundo vallo ſulphurata, leuis humi ſtragulo texerat. igne admoto conceptę flammę, humum militéſque ferè centenos in cœlum attollunt, fumo & caligine abſorbēt Simones Magos, ludicrum ſpectantis & ridentis Teillij: ſic enim appellabat. inter eos quos cœleſtis iſte raptus ſoſpites terris reſtituit, miles ex haſtatis, ſeu quòd inter motus vertiginem tale ſomniaſſet, vel quòd ducis gratiam vellet mendacio promereri: incertum ita proſpexiſſet ſupra fumum in aëris dilucido, reuerſus ad Bironium: imperator, cùm raperer in altum, hoſtiles ordine pone mœnia notaui: hâc parte ſolâ vt in

„ lacero apertóque muro, periculum „ & diſcrimen turbæ diſpoſitę expe- „ ctant. vidi diuerſa parte nuda cuncta „ & ſine cuſtode mœnia: regionem „ tutam credunt in quam minę nullę. „ præbe, quà conferti hoſtes, figmen- „ tum certaminis, & lude doloſos. iu- „ be intereà ſcalas in deſerta ferri mu- „ nimenta, electum ire militem: aſcen- „ dam Princeps & prę uius ad gloriam, „ monſtrabo ſemitam, nil periculi; vo- „ lo laude mea teſtari fidem: ambiguū „ etiam ſi quid eſt, promptus ſum caſu „ meo refutare. loquentis ſermo vt fa- natici vel dicacis, exceptus cachinno. at crematorum ſpectaculo perterri- ti ſequentes in ſilentium ordines, im- petum cohibuerant. ſic non eductis cunctis ad inſultum copiis, ſigno da- to oppugnatus hoſtis: ſed aliquâ di- micatione tactus, arte eò propul- ſandi vbi fuga deeſſet, victori po-

ſtremò cedet.

Elegit Henricus hanc bellandi ſpeciem, non machinarum inopiâ, vel ſubſidij cuiuſdam: nam quinquaginta tormentis caſtra intonare, totidémque hoſtes refulgurare poterant. actum parciùs, ſanguinis parcimoniâ raptum propugnaculum: debilitatâ velut compage corporis, poſt membri neceſſarij deſideria Hiſpanis cautè debellatus. nam armorum noſtrorum vicina inſidiatione fatigatus, inter proxima bombæarũ fulgetra conniuentibus oculis, quanquam retrò extructis aggeribus, in opere ſubitario recentique parum ſperare: deſperare occiſo Teillio. auctus cædis rumor celebritate cadentium: Sanluces in caſtris Præfectus machinæ regiæ, Tellius in vrbe plũbo extincti: hic de vallo, ille de mœnibus vomente bombæa.

Quia è cuncta Gallia copiæ in caſtra affluerent imminêre diceretur Mayennæus, obſeſſi horrere, trepidare, ſuper deditione conſulere, & paciſci. iámque collectæ vires regiæ, peditum ſupra octodecim millia, equites ſex mille: hi tam luculento ornatu & famulitio, vt toto cum ſtipatu non breuiùs octodecim millibus adequitarent. velites item equites non pauci. Princeps tot mortalibus cibum, equis pabulum menſtruum induſtria & abundantia mirabili caſtris aggeſſit. fuit hoc inediæ remedium accedente Alberto, ſeu extraneo Marte, cui vt obſiſtat de forma belli conſuluit. ſic Bironius.

Si tibi ambiguum fuiſſet vnquam prælium, ô Princeps! ambigerem de certaminis conſilio. mihi quid auſum aliquando improſperè? abſit etiam tua fortuna Princeps, mea fe-

rocia poteſt. cùm deeſſent humana ſubſidia, mille locis pugnaſti, nunquam niſi præſenti numine: tantùm virium in maieſtate eſt. meus verò hic gladius eodem ſanguine madêre cupit & ſolet, cruorem cædendo didicit. hoſtis eſt quem penetraui tribunus apud Ibericum: fatigaui Lutetiæ: laceraui in Nortmanis: repuli dux in Sequanis: apud Feram diſſipaui: fudi in Atrebatibus: hunc Legatus maieſtatis horrêre iubeor? bellas Princeps, apud Ambianos pro comparando dominatu, nam de ſpecie formáque imperij certatur. regnas, ſed informi mutilóque regno. tu Princeps ſemper pro regno inſiliſti: fruſtrà defenſorem exhibuiſſes, deerat quid defenderes & ſeruares, erat quid armis ſubigeres. permitte præliari Domine, aut erubeat facies mille & quinquies mille nobilium,

,, in rubigine gladij:frendent audi mi-
,, lites iniuriâ denegati prælij. iniuſſæ
,, ſigna reuellent, proſilient acies.
,, At Mayennæus. Non belligeras
,, Princeps pro reparando regno, ob-
,, ſeſſi Ambiani tui ſunt: tene animos
,, manúſque plica: & ſolùm vt hoſtile
,, ſubſidium repellas, explica, prouide
,, ne coeant hoſtes obſeſſus & auxilia-
,, ris. re infecta greſſus referet iſte, de-
,, detur ille: & vincere, eſt potiri rerũ.
,, patieris illæſos & incruentos redire
,, hoſtes? remunerabit patientiam fru-
,, ctus idem qui de victoria ſperatur:
,, optimæ præda laudis & poſſeſſionis
,, eſt. comperi multis experimentis nõ
,, periclitandum de fortuna, rebus tu-
,, tis: nam præter victoriam ſi quid læ-
,, tum & proſperum cogitare poteſt,
,, vanum eſt: ſi lugubre vel triſte eue-
,, nit, inſanum. at quia humana cuncta
,, in lubrico, ſi legiones tuæ funduntur

Princeps, Ambianos amittimus: quę "
poſt eos ſunt cultiſſima vaſtabit ho- "
ſtis. verùm ne optimum conſilium "
culpæ, prudentiam ignauiæ vertas, "
ſtare volo in fronte exercitus: ſi of- "
fendit hoſtis, da locum meis alis in- "
ter principia, vt exceptis primis vul- "
neribus, conſilij tutiſſimi fautor ho- "
ſtili furori opponar vnus. "

Albertus Auſtriacus cum neruis Hiſpanæ poteſtatis, ſubſidia immiſſurus vrbi, prodiit è Belgis. in hoſtili progreſſu, nec adhuc pro caſtris regiis cõparuerat totus Iberûm exercitus, intercepti mille præcurſores equites, cæſi, capti, diſiecti. regis opera hæc fuit, Bironiíque ſemiermis, nam illuc habitu velitis accurſarat ne parte laudis fruſtraretur. non deſtitit Albertus procedere, ſi tueri. vrbem non liceret ſaltem intueri: armorum ſplendor ſimúlque horror aciei; tàm compoſitè graditur exercitus,

ferox ſpecies, nec penetrabilis. mediam aciem regebat ipſe, dextrum læuúmque cornu plures texêre currus eâdem rotãtes ſerie & motu quo legiones. verùm aduolantes equeſtres alæ latera & totum curule munimentum inuoluebant: principiis hianti ore tormenta præpoſita. tria ferè militum inſignium millia, flos artis, flumen traiiciunt: vt per loca minùs cuſtodita, quippe hoſtili limiti non obuerſa, ſenſim in vrbem fluerent. nam bis mille militibus recreari volebant obſeſſi, nec minoribus ſubſidiis propugnari vrbem poſſe, cuius è mœnibus micabat Francus. ſed Vicquius Cluſello ſtipatus, ſuperfundit clandeſtinos hoſtes & perrumpit. diuerſa parte Albertus appetere & minari introitum in vrbem: Henricus hoſti vicino repugnare, & obiicere ingruenti Mayennæum,

næum, Bironiúmque: hos duces proximis Ibero excubiis, totíque periculo attribuere. Iberus vrgere tamen, tormentis laxatis tentare noſtrorum ſtragem, & experiri an ſibi per Francas turmas poſſit viam fulguribus aperire. obſeſſi etiam retrò machinis fulminare: pilæ ferreæ à tergo & frõte reciprocis vomuntur ictibus: ſed exercitum noſtrum quia ſuperuolant, non lædunt. Henricus eo genere teli vibrare in Albertum: quia cõmodè & induſtriè tonat, hoſtem lædere & repellere. Iberus paulùm recedere, & è longinquo iterùm machinis torquere ferum, ſed in pontem etiam quem Henricus iniectâ fluuio tabulatione ſtruxerat tormentis iaculari ruinam. contrariis ignibus refert iniuriam Princeps: vidit Albertus ſupra humanam eſſe induſtriam ſubruere cateruas equeſtres

noſt ras, dein caſtra regia, tótque ar-
ces ſuperuadere. recipit ſe cunctans,
& in lento reditu per aliquot dies
crebrâ ſequentis Principis velitatio-
ne exterritus, ordines infractos figu-
rámque exercitus ſuſtinuit. Ambia-
ni dediti.

Cœpit inde extraneus de pace
conſultare: ſic enim noſter indicia
» victoriæ non vanè præſumpſit. De-
» bellaſti Ibere, puſillum Caſtelletum,
» mediocrem Iccium portum, loca
» quatuor alia opere munita: ſed iuſto
» cuſtode, vtili cibo vacua, quod ſupra
» omnem penuriam eſt, abſente rege.
» Princeps verò magnam munitám-
» que vrbẽ, populos ſubiugauit, vim
» attulit præparatis intra quinque mẽ-
» ſes, ſub oculis numeroſi, & induſtriè
» tui vndique collecti Martis. iàm ſi
» domitor erumpit in Belgas, quid in
» morâ Bruxellas vſque? Valentinæ,

aut montes, ſed minoris quàm Ambiani machinæ. ſi tendit in Iberiam, quid Pyrenem inter & Valloletum? Pompelo, vel Brauum: quinque mẽſium non hæc expeditio eſt. breuiori die properabimus ad plenam perfectámque victoriam. ſic apud Iberos cœpit inualeſcere pacis opinio.

Intereà, florenti Principi in Mercorium copias dirigenti, exponitur obuia Ducis vxor apud Andegauos genibus regiis prouoluta: inteſtinus enim ille ſolúſque ciuicus reſtabat hoſtis.

Offert ſe, inquit, pro marito coniux, deprecari melior, aliena ab odiis & armis miſericordiam non deſperat. cur in nos caſtra moues? tui ſumus: imbellis ego nec rebellare volumus. ſi vincis Princeps, viceris tuos.

At Henricus; Facilis veſter fuit ad

„ rebellionem conatus, repugnare la-
„ bor. regem me Franci non ignorant:
„ Catholicum nouit Romanus Paſtor:
„ adeóne contumacia veſtra nomini
„ regio & Chriſtianiſſimo non obtem-
„ perat? præſentiæ tantum cedit, vlto-
„ ríque proximo ſuccumbit? accipe
„ tamen fœmina miſericordiam.

Sub rigidis legibus pax impetrata, Dux prouincia Armoricorum Britoniâ ceſſit. Mercorius impar ferociæ Principis: verùm ſolus inter plures conſpirationis duces poſt Mayênæum dignus regiæ Bellonæ præſentiâ. nam vbi aduentare regem audiuit, languêre illi vires, torpêre manus: ante regis aduentum nulli regio duci impar, vexare cunctos, aut repellere. iccircò cùm Principi inſultarent duces plures extranei & domeſtici, Mayennæum ſibi Farneſiúmq; attribuere: Mercorium in ſecundis

curis ponere, induſtrios illi duces opponere claróſque. claros à ſanguine, Sueſſionem, & Monpenſerium: à dignitate Aumontium, Briſſacium, & Sanlucem; à ſcientiâ Lanôem. cæteri hoſtes ſeu ciues, ſeu extrarij tertiâ diligentiâ computati: nec multiplici tot ducum ſolertia fatigati.

Regreſſus Princeps irruptionem meditatur in Hiſpanos. vergebat res ad cruorem violentóſque niſus, vt de tota alterius regis machina proſternenda. rex vterque integro ſuorum robore pugnaturus: ſed tantum additum Henrico, quantum adunatis Francis demptum Philippo. ſpes maxima Principi de certiſſimo argumento: quod abſque regio apparatu, vagus, inſtrumenti Caſtrenſis pauper, prædo non bellator, ſæpiùs Hiſpanos afflixiſſet. nunc principalibus toris imperij molem verſans,

neruis bellicis confirmatus, pecunia, frumento, enſe, machinis: exultabat exitioſam ſtragem allaturus hoſti, eâ re impari, quòd tantùm ſuis pugnaret rebus.

Meditatur quiſquis hanc hiſtoriam, vidit in ciuici belli initiis cœlum terris conturbatum: tenebras per vniuerſum, cæcam noctem: quis deus eam molem concinnè diſpoſuit, quam anteà mortales dixêre Chaos? verè olim dictum, quod *prima Chaos ſoluit Concordia.* de ea conuenit Princeps cum Philippo, & rogatus & exhortante Pontifice.

Originem pacis mirari decet. nam qui monitus diras iras, qui feros cõpeſcent animos? ratio nulla concordiæ truces Iberos inter cruentóſque Francos, in eo ſolo concordes quòd inexpiabile odium peſtéſque ſpirãt. ipſæ peſtes paſcũt inimicitias; væ

per has iniurias nulla mihi Lucina dabit natales pacis. ſi quidem Ariſtoteli amicitia non condit quicquam è diſcordia, nó hæc ex illa, verùm aliud quid tertium ambæ. & iterum: non ignis ſolus aut aqua eſt vniuerſum: ſed videtur, quod inter illa, potiùs. itaque niſi veniſſet tertius quietis authoꝛ & impulſor Excelſus inter Cardinales Florentinus, non ſtetiſſet vniuerſum tam Francum quàm Ibericum: niſi medius Alexander Medicæus Legatus Pontificis dirempta lite tranquillum molitus eſſet, non ſpectaſſes France, non tu Ibere, recíprocante clade quicquam pręter internecinum vniuerſi lapſum. huic Legato comes Præſul Mantuanus: at pacificis miniſteriis vtiliſſimus fuit Bonauentura Secuſius Catalagironius D. Franciſci familiæ prępoſitus, cordatus & corda virûm peruidens,

diuina cum vtroque Principe ad mortalium quietem exercens commercia. attamen comperto inter hoſtes tertio medióque Alexandro, nondum mihi conſtat vniuerſum, nondum conſpicua eſt origo Francę Iberęque pacis.

Quid enim faciat medius ille Medicæus, ſi Francûm nemo amicè loquitur? Martium hercle Henricum ſilere de pace iubet omnis miles, malis & offenſis dudum exercitus, rapinis ineſcatus. è Ducibus, an diſſeret de concordia Bironius? an ſi qui Bironio ſimiles ſola didicêre ſymbola, horrens ac militare fari? pacificas voces audit quiſquis gladio viuit aut vincit: quò magis mirum eſt, Carthaginenſibus ſuis conſilia pacis, & pręcepta ſanguinolentum dediſſe Annibalem. ſolis enſibus piliſque, Duces noſtri patriam non pace iuuant.

vocem nullam odêre magis quàm iſtam, Fœdera ne rumpe ferro. è to- " gatis erant apud Francos induſtrij pauci laborioſiſſimo ęgróque negotio ſolerter pertractando. eminebát inter raros Neſtor Beliurius, & elegantis Vlyſſis loco Brulartius.

Ecce verò ad reconciliandas Pelidis iras, quæ celeberrima ęui Troiani legatio, abeuntes nobiliſſimos Oratores, Vlyſſem pręcipuè monet magnus Agamemnō HENRICVS vehementer agere. ſuadelam concitare: ſic properat abſque Franco Neſtore Brulartius ad Quintini Fanũ, vbi & conciliator Alexander, & Bonauentura Iberi vice. de tranquillitate verba fiunt, adornat Brulartius glorioſiſſimę rei publicarúmque vtilitatum examen, diſponit fractis vt lugeat armis Bellona: aperit Henrici mentem, nam os regis ipſe fuit, con-

ditiones pacis exponit: & cum Bonauentura eſſet renitenti ſimilis, ſic
„ iubet nos: Ibere inquit, Henricus
„ ſancire pacem: recipe has leges &
„ quietem, aut deſpera. ſpondet Bonauentura, accipit vltrò datas conditiones: adegit hunc virum ad conſenſus ratio duplex. primò quòd adamata foret Ibero tranquillitas: dein quòd Henrici oracula ſic eloquiò creuêre Brularti, vt iuſtiſſima opinaretur moderator Alexander, & Bonauentura Secuſius neceſſaria. gaudebant & Medicæus & Secuſius de conuentis ad ſolatia gentium pactis, de fœdere Principum, de feſtiuitate mortalium. fatebantur haud inuiti quodcumque in Europâ mox quieſcet, vnius eſſe Brulartij curam & ſolertiam. redit ad Henricum Brulartius (Bonauẽtura comitante & mox aſſeuerante omnia ſecum pro Ibero

tractata, pacta conuenta rata prorſus futura) refértque; *Jam ô Princeps compoſitæ inimicæ mentes, acquieuére ſacris deſideriis tuis, exultat cum pace fides*. exaudiit fauſta omnia Princeps, nec bonis populorum inuidit.

Poſt cõcordiæ myſteria probè ordinata, vbi operi coronis imponenda fuit, deſtinatur locus vtiliſſimus alloquiis Veruinum oppidum, in limite Franciæ circà Hannonios. iam eò ſe conferunt & Beliurius, & Brulartius, communicatâ induſtriâ. ab hoſte non hoſtilia meditantes celerant Richardotus, Taxius, Vericenius. diſſeritur in illuſtrium Couçeorum ædibus Regum inter Legatos cautè pro rei anxietate, argutè pro virûm delectu, æmulè pro ingeniorũ ambitione. dùm medius ſeu tertius Medicæus, contraria diſceptantium verba nectit, & è diuerſis eamdem

componit ſententiam, paularim inclinantes adunat animos. iunctæ iterum dexteræ: vtque clariora & firmiora eſſent fœdera, ſculpuntur amica verba in lucido duróque marmore. eo monumento quod eſt in B. Dominæ: quàm eſt oppidũ factum venerabile! res tandem placidæ mutuo fuêre pacto vj. Non. Maias, cùm Sol mediam ferè Tauri domum conſcendiſſet. nec publicata ſtatim in vulgus tranquillitas: fortè ne ſęuiret, ne cornu ferlret Taurus ille, nam petulans eſt. menſe deinde Iunio, vbi Sol Geminum viſit fraternúmque aſtrum, amborum regum diuulgatur fraternus amor. inſonant tubæ per vrbis regiæ compita, ínque animis gaudia exacuunt: quies proclamata. concordiæ pacta duo præcipua.

I. Iberus ademptũ limitẽ reſtituito.

II. Francus de Nauarræâ cauſa apud iudicem diſceptato.

Ob rem peritè & gnauè geſtam, beneficus Henricus pacis artifices ſummæ dignitati deſignauit: ita vt Beliurius Huraltio Franciæ Cancellario breui pòſt tempore ſuccederet: Beliurij item premeret veſtigia Brulartius, mox occupaturus.

Impetum ergò Principis molliuit Iberus, reſtitutis vrbibus quas in regni margine diripuerat: hâc corruptela tranquillitatem promercatus. Henricum verò vili pretio venalem expoſuiſſe pacem, déque totâ pepigiſſe fortuna. locuti multi: caſtris innutritum mirati ad pacis mollitiem procubuiſſe: cùm & natura præberet virens corpus, & fortuna rerum lætitiam oſtentans fuſos amplexus immitteret, virtus conſummata per clades florens vberiora polliceretur.

inſignior quidem Princeps virtuti
luce duplici,bellicâ & domeſticâ: tu
tiúſque fortunæ perfidiam in pro
ſperis præueniſſe.verùm cuncta per
pendenti mihi videtur nauis, iniqu
æſtus æquoris vario curſu domans
ipſam vortices fruſtrati aut vorare
aut proterere ad ſcopulum: ſidun
fluctus ponúntque:bona furens ele
mentum ſpernere, fauente nunc illo
nauis hiulca eſt non procul littore
& fatiſcit. ſed fortè maluit Princep
contumaciam hoſtium quàm arm
debellare. & quia iam odia ſuperarat
„ noluit nationes ſubiugare. generoſa
„ etenim animæ iris non efferantur æ
„ ternis: hilareſcunt victoriâ, & hoſti
abiectione miteſcunt. odêre genu
omne futurum exercêre odiis: dar
feroci hęc munera, nullus amor po
pulis, non fœdoſa: arma armis im
precari contraria. & illud, pugnen

ipſique nepotes,Face ferróque con- "
tenta profectò eſt virtus ſuis finibus: "
oſtendere quid poſſit non efficere. "
ita cùm de Principis fortitudine nulli populi dubitarent, longè operoſior eius ſapientia fuit, quàm audacia: quia plus laboris & operis in ab- "
ſtinendo, quàm in occupando. "

Rex toto bello à Principatus initiis laceſſitus ingentibus vndecim exercitibus. quatuor rexit Mayennæus: duos Farneſius: vnum Velaſquius: vterque Mayennæo comite: vnum Mansfeldius: item Fontanus: duos Albertus Auſtriacus.

Mayennæum fudit, Farneſium fatigauit, mutilauit, & iuſtâ poſſeſſione fregit. Mansfeldium vellicauit, membróque vno lacerum fecit tantùm. Fontano non occurrit, diuersâ regni parte in Sequanis occupatus aduerſus Velaſquium: & Velaſquiũ

turbauit repedantem. Alberti priorem expeditionem non repreſſit: Albertus enim vrbes regias magis laceſſiuit quàm regem, occupans eius abſentiam: aut aliis expeditionibus occupatum Principem diſtrahens bello contrario: minuens regios conatus, dùm negotia diuidendo multiplicat. poſteriorem expeditionem propulſauit Henricus.

Mayennæi quæſita experientia per vtriuſque elementi diſcrimina: regentis fortuna melior quàm præliantis: huic è iacturis & infortunio manſit nomen optimi ducis reuerentia etiam ex Henrico victore. non illi ſenectus pigra cóſpiratos regenti, vel iuuentus imperita, ætas verè militaris ac vt imperantis. ſtatura procera, benignitatis in facie ſerenâ riſus, aptus clementiæ geſtus, grauitas facilitate códitas. non in Europâ

bellis pluribus notus alter. qui ducebat apud Francos pugnauit acie Naupactiâ miles bellis Turcicis: æqua illi gloria exercitus adminiſtrare & caſtra ſequi: nec militiam titulis æſtimauit. Fontani vigor verè bellicus, virtus Caſtrenſis ſolida. Aragonenſis ille aſtutus in conſulendo, ardens in agendo, non degener à natali ſolertiâ: nam Aragonenſi virtuti non inuident hiſtoriæ: ſi egregia quę geſſit, Henrico coràm confeciſſet, Farneſio par. id ſolùm viro deeſt ad magni ducis famam, Henrici tentaſſe gladium: geſta enim quæuis claret « ab æmulo. Mansfeldius vidit Henri- « cum abſque ignominiâ. Alberti euentus proſper aut non infortunatus. Velaſquius diſciplinâ vir politicâ, ſapiens & induſtrius, ſed facti meditator.

Farneſius cunctari doctus abſque

dedecore,audere opportunè. præci-
puâ virtute Princeps , vita inſigni,
proque exemplo,niſi:quod hanc ce-
lebritatem infeſtauit morum trucu-
lentia vel ſupercilium.quanquam li-
bidinari ſolet principum licentia,fla-
gitio & vanâ cupidine non infamis.
æquitatem, liberalitatem,prudentiá,
domi & in caſtris vtilitati ſubdito-
rum & exterorum admirationi præ-
ſentauit. atque vt Nemæus leo fra-
ctus & victus ab Hercule, Herculeo
tamen digito impreſſit notas vnguis
ſæuiſſimi: ſic repreſſus & verberatus
Farneſius, reliquit apud Henricum
ſigna fortitudinis æternùm memo-
randa. non licet vllius criminis cul-
pare bella quàm ingratitudinis. nam
Ducatum Parmæ, Octauianus, &
Aloiſius, ſub fide honoris dominici
à Paulo Pontifice acceperant. Iulius
etiam Pontifex, illis feudi inueſtitu-

ram fecit. deinde vacillante opinione, vt mortalium fides non eſt perennis & conſtans, ſed facilè concidit: Carolum Cæſarem Iulius in Ducis ruinam armat, Octauianum anathematis telo conuibrat. nulla ſpes aduerſus iras Cæſaris, cæliſque, ni protector Henricus ſecundus, obſeſſam Parmam peſſimis caſibus, ducemque, calamitatis mœſtitiâ euoluiſſet, operâ & armis clariſſimorum Ducũ, Petri Stroſſæ, Colinij Andelotæ, & Cyperij. Farneſius tamẽ noſter Philippo militauit hoſtis filio, dedítque gratiam iniuriæ. ſicut cælo nũquam ea clementia, vt aliquas terras tædio & ærumnis non inficiat: ſic viri Heroica probáque indoles, vitam exhibuit aliquâ ſui parte horrentem.

Tot Ducum multiplicatæ virtutes, vt regia exerceretur & creſceret ex hoſte gloria. ſparſit tanta belli ſe-

mina in Græciam noſtram Philippus hoſtium princeps, in quo multa Dei cuiuſdam æmulatio. nam vt cũcta Dei mouent, immoti ipſi: luſtrãt vniuerſa, nulli mortalium lucubrati: ſic Philippum vidêre pauci, de eo ſilêre nullus. è cubiculo vel diætâ in longinquo ædificare, inuertere, deſtruere, qualis ſit ignorare proximi: noſci vt diuinitas, in rerum effectibus. didicit ex Hẽrici victoriis mortalitas, Philippum mortalem eſſe.

Rebus compoſitis, viſuntur templa Diuûm: poſt aliquot annos, Iubilæâ cærimoniâ Deus adoratur in templo Sanctæ Crucis, quod Henricus Aureliæ inſtaurare cœpit. ſupplicat ipſe, & regia humilitate auſpicatur initia celeberrimę pietatis, crucem haſtile ſalutis religioſè ſuſpiciẽs. crucem pridem neglexerat in bellis, & exuerat contrà morem Francæ

militiæ:apud quam ſigna legionum, vexilla equitum, paludamenta nobilium crucibus inalbeſcunt. ardent gaudia: & quod ex tempeſtate lætiſſimum eſt, memorare ſinguli præcedentem tempeſtatem.

De conſpirationis diſſipatæ conſiliis, frequens priuatis & familiaribus alloquiis diſceptatio: quàm vehemens ſpiritus totam ferè Europã animarit, quæ ſacra, quis dolus. nec incommodè. nam poſt Pharſalum, & Philippos, nunquam res humanæ concuſſę violentiùs, perturbatę confuſiùs. differentium rumor diuerſus. ſic elocutus fàuor.

Vtiliſſima fuit conſpiratio, & verè ſanctam diximus. Henricus Hæreticus de victa, apud Ibericum & Arquas triumphauit, non de obſequente. rex Catholicus, ſubiectam vidit & poſſedit ſeruientem: quam-

quam ſæpiùs vicerit, pondere armorum anhelus, grauiſque factus eſt de nolente volens, deſcendit in conſenſus peruidendæ religionis. conſcientiam noſtra pungebant arma, & oſtenditur argumentis. Mayennæus ante trucidatum fratrem, de iſtius conſiliis Henricum Valeſium monuit: ducem tamen ſe dedit fœderi aduerſus Henricum Borboniũ coniurato. vnde Duci noſtro, contrarij motus animi circà regum ſtudia, niſi fortè Catholicum illum coluit, hæreticum iſtum peroſus? verùm deſciuit Mayennæus à Valeſio; ingenio verſatili quis adhæſiſſet? Mayennæi fratrem interfecerat: omnia cum Principe incerta qui neſcit iniurias regis vlciſci. qui ſolet crimina iræ ſuæ atque inſidiis, non iuri publico & iudiciis repoſcere. ceſſit herculè Mayennæus Borbonio multis prælijs, &

volens: aduerſus hęreticum pugnaſſe viſus, non repugnaſſe principi. extraneos enim cùm regias vrbes inuaderent, ſeueriſſimè repreſſit, infamem militiam deſerens. vbi Princeps admotus Eccleſiæ cærimoniis, Diui Dionyſij altaria ſalutauit, dedimus conuerſioni trimeſtres inducias, meditati pacem arbitro Pontifice. vox illa fuit publica: *Veni Princeps ad Petrum, & ad te reuertimur.* Contrà odium ſic excipiebat.

Cur Valeſio Catholico rebellaſtis « conſpirati? poſt interfectum Gui- « ſium ſcripſerat ille Duci veſtro a- « pud Diuiones agenti: gratioſus mi- « hi eris Mayennæe, ſi pares, ceſſat vin- « dicta in nece fratris: cur repugna- « ſtis? nimirum hæreſis ficta vobis « ſpecies, armorum fidem implora- « ſtis, quia regia rebellibus ſuſpecta « fuit. ſi non Principem, ſed hæreticũ «

insectati, cur Carolum regem creaſtis? cur ſacerdotem altari reuulſiſtis vt veheretis ad thronum? hoc quidem flagitium non purgant, ſed excuſant religionis cauſę. verùm infauſtis & inominatis ſuffragiis audacia ſe veſtra immiſcuit: regem de extera optare familia cogitauit, naturâ quam ſequimur in principatu ducem violatâ. num principes ſacrę domus tres Catholicos oſtendebat vbertas regij ſanguinis? duos ex iis ætate florenti? nec create reges nec expellite. quid reſpondetis interdicenti Senatui? effigies ordinis ampliſſimi, quę manſit Lutetiæ, obſeſſa veſtris enſibus, pro Borboniis & Salica lege vobis inſultauit. pugnaſtis? contumacium non cedentium vlla ſpecies in tot cadaueribus, exundante per planitiem cruore: quò nunc etiam poſt plures annos hu-

mus purpuraſcit. veniſtis per trimeſtres inducias ad pacis vota, nec obiſtis vadimonium apud Pontificem: conuerſo Principi repugnaſtis, vt peruerſo. ipſe Mayennæus facti pœnitentiam publicans, delictum dux vniuerſorum condemnat.

Varia vtrimque ſtudia loquebantur. Differentium argumenta egent elencho: præceps eſt de ſecretis ingeniorum affirmare: vtcumque ſit, nunquam peſſimi negotij & exitioſi, vtilior vel lætior euentus. Reconciliatis dextris non fuit officium flagrantius quàm Mayennæi: mens aperta votis regiis, & tuta: obſtrictus animus pietate ſecreti principalis, obligauit acceptum ſecretum ſilentio, & redditi integritate conſilij.

Rerum humanarum mendacia, & fallaciam intellige, ex propoſito, adminiſtratione, & euentu totius

deſcripti belli. vt Domitius, & Scipio, in Theſſalia ſub Pompeio, de Pontificatu certabant, nondùm cum ipſo Cæſare Pontifice conflixerant: ſpondebat ſibi quiſque procerum, & pignorabat è diſcordiâ dignitates conſpirationis præmium. Euadam Mareſcallus, tu Comes ſtabuli, & iſtis nobiles deſignantur Prouinciæ: futura quiſque ſortiti. atque vt Phidippides adoleſcens, in ſomnis vaticinatur equos: vel apud alterum Poëtam canis ſomnians diuinat panes: ſic omnis ſpecies hominum, nouam ſibi vaticinata eſt fortunam, vano vt ſomniorum effectu. Decepti proceres ridiculis ſortibus: non additæ, victis ipſis ademptæ ſunt Prouinciæ. Falſi Reges. Nam Philippus ſcripto Lutetiam crebrò ſuam nominauit, quam ita tradiderat Mayennæus, vt Francis retine-

ret. Atqui in nullam conditionem triſtior ludificatio ſtructa eſt quàm in plebem, exeunt conſpirati; & cũ properant ad Arquas: capimus Bearnenſem, hoc nomen dedêre Principi, vinctum propediem adducimus. Credebat rerum neſcia plebecula: & dolores ſuos mille his deliniuit iocis, cùm iacturas faceret. Sub Nerone, trophæa Romæ ſtultè de Parthis, monte Capitolino ſiſtebantur: & Parthus ruperat legionum veſtes, retinuerat arma. rediêre conſpirati campis Ibericis: & cecidit Bearnenſis, aut propè exſpirat. Bironius confoſſus, aut trucidato non diſpar: ſigna occupata. Iſacius Angelus à Valachis fuſus, inanis victoriæ famâ fraudat Byzantinorum Græculorum mentes. Erigitur Lutetianus animus inanis ſcripti delirio: lætæ iactantur in populum libellis

victoriæ, cum vinceretur. ridentur detrimenta: fert ſolus ludibria pauper. Sed animus vbi credit, tam falſò exultat, quam vero: & quamdiu ſuadetur, non eſt lætitiæ diſcrimen. Athenienſes cùm Epinicia falsò diis obtuliſſent, indignantur Stratocli mendacium victoriæ publicanti: & ille dicterio auertens odium: vos triduò delectaui, quid admiſi ſceleris? autumat conſpiratus populus calamitatum amaritudines his ludis dulceſcere, dum neſcit fugas & ignominias ſuas, etiam peccatum ſuum ignorabat. ſi vinci noſtram plebs militiam didicerit, protinus factionem abhorrebit, tributa negabit, reſipiſcet, redibit in cognitionẽ regiam. decipiatur ergo: lenibit incautus rumor intolerandarum cladium ægritudinem: nulli potenti lacrymabile vulgus. infortunati ſe

mortales ſpe circumfundunt: rem optimam nimiè communicant, vilitate deprauant, nec effectu ſpei potiuntur, quia de re pretioſa merentur peſſimè. ſpera enim, ſed quemadmodum poſſis. opiniones tuas confutabit veritas: & aues doctæ aliud canere Hanno, Deus: dimiſſæ carceribus obliuiſcentur diſciplinæ, nec Hannonem deum canent. quicquid proſperi falsò audiueris, verè plorabis.

Quia omnis belligeratio declarata eſt: & hiſtorię cognitio non eſt tam " in rebus geſtis, quàm in diſciplina " ſenſúque negotij: expreſſam ecce " ſynopſim, à primordiis ad finem vſque, & velut diſertã ſummam ærumnarum totius ſeditionis, in fabulâ non fabuloſæ calamitatis. hæc Dicæo polis.

Prytanées fori conceptum implét:

viden' vt ambitiosè volatur in primas ſedes? nimirum conuentuum magiſtri celerant in aulam: & illi in foro Attico, & hi in aula Lutetiana diſceptare de militis dilectu, de ſupplemento, de accitu extranei: de pace obmutire. ô vrbs! ô Athenæ! ô Lutetia! crucior, ratiocinor, oſcito miſeriæ meæ diſtractus affectibus, tam Atticus ego, quàm Francus Dicæopolis. agellum quem non licet per bella interuiſere, ſpiro flebilis. ab agello mihi adamato, quando in Attica forem nunquam dictum iſtud, carbones eme, acetum, oleum: ſeu cum Lutetiæ verſarer, & vę rebellioni; auſcultaui nunquam, mures eme, putria iumenti & morticinę fruſta ſtomacho para. proferebat rus meũ pinguem ſobrio & libero culinam. nũc triſti obſeſſus pomerio, in Pnyca properans, pulſo, obiurgo Athe-

nis rhetoras: Lutetiæ Theologis ſubiraſcor, ſi qui in templis de re paci inimica, abſurdùm perorãt. venit Amphiteus Deûm prognatus ſtirpe, ipſûmque Deûm iuſſu: maturat nuntius ab Equeſtri Francorum ordine, heros pacificus: via in medio conuẽtuum cœtu comparauit, & ieiunum Amphiteum lictor ſæuus explodit. ſoſpitatori Deo viaticum negatur in Prytaneo: ſtipendia merentur latrones. ipſa imò dulcè toruis oculis Iuſtitia celebri ligationis conuentu ſiſtat, pacem alumnam ſuam laudatura: diſplicet. exclamat incaſsũ Amphiteus, Triptolemum, Celeum, Cererem, & gentilitios deos, deáſque: rogitando, increpando fit raucus: Pium Ludouicum, totam regum pacíſque originem nequicquã implorans, obteſtans. atqui pacis oppreſſor, inſtat Pſeudartabas, legatus

à rege, heus à quali & quanto rege! iſtis porrò Dicæopolis ego ſeu Atticus, ſeu Francus, & legatis indignor, & pauonibus, & Perſicis ęquè Ibericis iactantiis. næ iſtis gloriolis, vaníſque extraneorum diffido arrogãtiis. vocem horreo Ecbatana: Madricum cùm audiui, odi: odi iſtos qui octo menſibus aureos cacant ſuper montes, qui pollicentur aduerſus Borbonicam Franciam, aurum, arma, milites. nec citiùs auxiliares iſtos conſpiratis mittunt, quàm amittunt: ſtrenuam illam militiam Henrico profligante. iſte nihilominus Pſeudartabas, regis oculus, inſolitum quiddam Atticis auribus Perſiſſans, apponit edendos epulonibus boues integros, auémque monſtroſę magnitudinis, quæ vocatur Phænax, vt clariùs interpreter, Cauillator Pſeudartabas Ibericus, grande & ſonans locutus

cutus, cœnas oppiparas, & pro delicato volatilium edulio, totam fallaciam, & cauillationem conuentibus præbet vorandam. Famelica tamen eſt Lutetiana plebecula in his cibis: araneante palato, ſiccis natibus: dum Pſeudartabas inauditas Francis voces magnificum & ſplendens Iberiſſat, aureos nuncians aceruos, quos è verborum ſonò, ſtolidè ſuſpicatur ſtolidum colligationis vulgus. Verùm ſecretò, & in aurem explicantur mihi nugæ. agnoſcens decipi miſer ego Dicæopolis, execror militiam, tàm Perſicam, quàm Ibericam. & quia venit ex Iberiâ promiſſus opifer nullus miles: Daricus nullus Athenis, nec Philippicus Lutetię numeratur numus, aliquam comperi technam ad ſalutem, nec miſeriæ ſuccubui. nam conuerſus ad Amphiteum quem Athenienſes foro,

Lutetiani conuentibus extruſerant; Sancte Amphitee! en tibi drachmas octo, pretium tranquillitatis meæ: queſo concilia mihi ſoli bone, bonam pacem cum Lacedæmoniis, propitia mihi Henricum Maximum. diſcordent, tumultuent, fame pereant alij, dum pace lætius fruar. ſic plærique ligatis deſtitutis, priuatim ſibi per Amphiteos & interceſſores, Henrici ob rebellionem irati nutum expiarunt. Non Mayennæus ipſe caruit Amphiteo. Dionyſia populi celebrant, hilari Baccho non parcipromi litant, madent; naſcitur è ſeditione & rixâ riſus. Abhorrent ſimulque ludunt populi Lamachum illum, Farneſium, Egmontem, Feriacum, ſeu quemuis alium conſpirationis ducem, totum in pennis & criſtis, herôa terrificum qui Gorgona quatit. in ipſas ſecura

plebs, & ſatura vomit galeas, pennas criſtas.

Hic exitus ſeditionis, conſilia, decipulæ. licèt nemini in vultus ſui partes, oculos circumiicere. exhibui, mi ciuis, totam faciem tuam in ſpeculo, & tua extra te. ab his ærumnis pax fecit otia.

Henricus pacato imperio, tutóque limite ab omni exteriori hoſte, ſemel foràs bellum intulit. expeditionis Sabaudicæ hæc origo. Salaſſi Alpini populi, in limite & clientela Delphinis Domini, olim ab Marchione poſſeſſi, vixêre ſub patrocinio regis, cuius prędium eſt Delphinatus, verùm ob perfidi Marchionis ferociam à Frãciſco Valeſio parti Francię adſcripti: prouinciales facti, obſtrinxere ſe Francis legibus, paruêre magiſtratibus ope Inſubricæ militię per Carolum Emanuelem

Sabaudum intercipiuntur, anxiis ſub Valeſio rebus. Malent Salaſſi per ſeditionis ignes ſub Emanuelis lege: turbis domi per Henricum pacatis reperitur ab extrario & violento poſſeſſore ſubditus. Venit Lutetiam elegans Sabaudus, multam à natura & arte habens illecebram, vimque conciliandi & violandi animi. Opinatus remiſſurum Henricum populos, fore hanc mercedem longinquæ peregrinationis, & ſalutatæ maieſtatis: reges dare maxima, largiturum Principẽ gratiæ, obliturum iniurię.

Sed mutilare imperium, aiebat Henricus, inſanię eſt: nullus vnquam prudens dominus ruinas ſuas conceſſit gratię. fructus peregrinationis fuit, quòd rex viri mores & indolem amaret: vnde aliquot poſt annis, de Auguſtę filiæ coniugio cũ Emanuelis principe nato paciſci,

vulgatus non refugiſſe. ſumma ſi vixiſſet Henricus, Auguſto Sabaudo fœlicitas: deſtinarat illum Henricus, generumque ſibi, Latióque futurum rectorem, vt cum nobilitate coniugij, accederent fortunæ.

Sed tunc Salaſſis non impetratis diſceſſit Emanuel. quæſiti Iuriſconſulti: non de Salaſſis ſolis, de Sabaudis cunctis: pro rege ſic reſpondent. Ludouicæ Sabaudæ integer fundus, & ex aſſe fuit: nam illa & Philippi ducis filia, & è priore coniugio, & Philiberti primogeniti ſoror: & Philiberto, præmortuo Ludouica primogeniti hęres. Carolus Emanuel ortus è Carolo, hic è ſecundis Philippi nuptiis, quarum partus vt eſt inferior, ſic eſſe debet fortuna deterior. at Franciſcus Valeſius fuit Ludouicæ filius: huius Princeps, tu hęres: ſic iuris tui prærogatiuæ cedit

tota Sabaudia. vi ergo fundus Salaſſius ab Henrico vindicatur : nullâ victor ſtrage claruit , vnde omnis gloria bello. nil præliatione actum excelſi , & munitiſſima in excelſo loca debellantur: nam inter inæqualis roboris æmulos , æqua rarò venit audacia in prœlium. Clauſus Mars in monte Melio non inſiliri intra prærupta , non oppugnari manu, quippe montis cacumina non facile manu pertingere. Nec ille exſilire rupibus,ſed pati fulmina; altis ſe abdere,tormentis obrui, ad deditionem conſentire recreationis & libertatis appetens , languere cùm Emanuelis deſperaret auxilia. Tótius belli dux & magiſter fuit celebris Bonna , doctus montanorum tramitum , ſolitus de Alpinâ nube iam olim tonare altum , genteſque illas longo vſu fretus vincere. Serò

copias Emanuel eduxit : nec licuit è Taurinis ad oppreſſos Sabaudos tranſmeare: atqui montium aditus obſtructi denſis niuibus intabuêre ſolutâ glacie, lapſantibus in humido pedibus. Si Alpes tranſcendiſſet Emanuel, vt arcem Montis Melij quam Bonna obſidebat periculo eximeret, erant qui repugnarent & cum Sabaudo pręliarentur dilecti duces, experimentis bellicis & nomine illuſtres, Sueſſio, Spernonius, Bironius. Princeps intereà in Sabaudiâ potens, dominuſque intra Alpes: Emanueli non de tenendis Salaſſis, de recuperandis Sabaudis, aut Taurinorum tutela cogitandum. verum interpretes ad alloquia pacis ſupplices introducti propitiant.

Princeps de Salaſſis initio certabas, non de Sabaudis: quid in origine belli peteres ſpecta, non quid

„ poſſideas. ſubiugatâ Sabaudiâ cede,
„ ſilentio tuam negaſti quam non fla-
„ gitaſſes. Oblatos recipe Salaſſos: aut
„ ſi inculti ſteriléſque tractus ingrati
„ ſunt, offeruntur ecce Seguſiani in-
„ ter Araris & Rhodani amplexus,
„ fertiles amœníque. Donatur vtra-
„ que Rhodani ripa: tibi ſoli fluet
„ pater fluuius. æque Princeps,
„ poſtulas quid vltra tua? habe tuis
„ vberiora, & accede paci. contrà qui
„ Principem accendebant.

„ Quorſum quadraginta tormen-
„ tis rupes & caſtella Sabaudorum la-
„ ceras? contorque tela in nobiles In-
„ ſubrum vrbes, vel vlteriorem Ita-
„ liam: Salaſſi iure tui ſunt: Seguſiani
„ quos Salaſſis pacifici ſubſtituunt &
„ ad hęc Sabaudi vtroque iure parent,
„ ciuili & bellico, reſtituis ergò ſub-
„ actos populos? Seguſianos medio-
„ crem victoriæ partem retines? no-

uum hoc, victorem ſubire leges. Al- "
pes iſti, obiecta virtuti tuæ clauſtra "
olim ab Annibale fracta, & nunc "
ſunt mortalium peruia viliſſimis. "
fruſtraris Princeps animos noſtros, "
& premis. "

Ex aduerſo iterum Sabaudi fautores dicere. Sabaudum generoſum magnanimumque ſpoliatum prædiis, non æſtimare belli fortunam à iacturis præteritis, ſed è præſentibus ſubſidiis perpendere non quanta amiſerit, ſed quanta poſſit ſubiugare: adeſſe Fontanũ Iberi miniſtrum, Inſubriæ rectorem, cum ingenti exercitu & tormentis quadraginta. inde ſumenda indicia de futuro. at "
Henricus audacter, Deſinite cuncti "
Titania bella. & ad ſuos: ad arma, in- "
quit, Italiam milites.

Italia ferè tota ſupplex, per Aldobrandinũ armati progreſſum Prin-

cipis reflexit. Cardinalis ſplendor & magnificentia fuit inter aulicos verè ſacerdotis: per ſapidos delicatoſque cibos nil dictum proteruè. Dapſile ſpectas, Principem vides: aure ſolâ vteris, preſbyterum intelligis cuius induſtria redemit gentem Latiam. Sic publico innoteſcunt, qui noui non ſunt. Quadringenti abierunt anni, & in Aſiâ Aldobrandinus vir Italus, Attaliam tenens obſidetur à Caïchoſroë Perſâ: paucis ille manipularibus, & vix ducentis petitis è Cypro proiicit obſidentes, profectò numquam caduca virtus, fluit per ſtirpes, vel per nomina.

Igitur tranquilitas nullis armis impenetrabilis data Petro, traditi Henrico Seguſiani pro Salaſſis: Sabaudia penes Emanuelem rediit.

LIBER IV.

CONTVBERNII Principalis virtutes, amores erga Principem, mores ipſius, ciuilia geſta, interiorem vitam declarare reſtat. admirata eſt omnis mortalitas inter tot diſcrimina, tot Henrici victorias: obſtupuêre animi, dum non peruident quibus inſtrumentis vſa ſit hæc Bellona. quæ ſi aperiuntur, deſinent ſtupêre mortales ſic vinci: nec admirari ceſſabunt tam facinorum miniſtros, quàm victorias. nimirùm Imperatores egêre florida, qui miniſteria habuere æqua imperiis, parata officiis, prompta conſiliis, perita rerũ,

eget ſocietate omnis expeditio.Her-
cules fortè ſolus purgauit orbem:
poſt Herculem nemo bellans pera-
grauit ſolus.Si quidem Alexandrum
& Cæſarem circumdedêre, miles
audax, dux ſapiens, vterque amans.
Sub Alexandro militum Senatus
agebat principia: donum prætereà
Iouis patris adfuêre duces, quorum
conditio magis regi ceſſit, quàm vi-
ro virtus. Sub Cęſare innumeras co-
pias ſuperauere pauciores milites,
dùm ſibi deuotiſſimos ille reddidit:
Labienus prætereà inter duces mili-
tauit Cæſari, non minor ipſo. tali
cum obſequio Macedonicæ Roma-
næque virtuti audenda cuncta & pę-
netrabilia. ſic ex Henrici victoriis
nil fortuna,multum amor,fides,me-
ritum militum, ducumque occu-
pant. milites in Henrici caſtris velo-
ces ad pericula: numerum ſibi opta-

uêre numquam, vel hoſtilem timuêre. apud Ibericum pridie quàm certaretur, vincemus, aſſeruere centuriones: fusâ enim hoſtilis nobilitatis imperitiâ & iuuentâ ſat bellatum: nobis miles bonus prœlio: etſi inclinarit, doctus prœlia reſtituere. Præfecti verò militiæque magiſtri, regiâ ſinguli fuêre induſtriâ. tantam virtutem collegerat alacritas, & ambitionis publicæ feruor optimum colendi principem. Bironius pater, Lanôes, Caſtillonius, Giurius, Bironij natus, Humerius: pro Parmenione, Cratero, Lyſimacho, Perdicca, Eumene, Antipatro. exactâ fortitudine, doctrinâque caſtrenſi, ſub Henrico duces ibant, & in ipſo vidêre diſciplinam. ex iis, ni volentes inter ſe ceſſiſſent annis vel dignitàti, non erat cuius induſtria alteri ſe ſubmitteret. inuenturi pares niſi inter ipſos,

nec vllum Hērico excelſiorem. Heroïcum contubernium veneratione mutuâ & pudore nectebatur: diſpoſita cuncta à numine, vt poſſet cogitare ardua Princeps & perficere.

Feſtiuum eſt, comitatum regium lucubratiùs aperire. Quoſdam è comitibus adſciuit in commilitium Princeps, iam duces alienis experimentis factos: quoſdam & fecit è ſuæ doctrinâ ſcholæ, exercens, fatigans, exponens.

Amantium Bironium per famam vexerat maioris nominis quàm fructus obſidio Rupellana: dein expeditio Brabantica, quandò potentem exercitum Franciſci Alençonij eduxit foràs, improſpero ex euentu non culpandus: pernicioſi conſilij non conſcius. Franciſcum Lanôem intercepta Aurelia: ſeruata Rupella, ab inſultibus Henrici Valeſij, Guiſij,

& Bironij: exceſſit lambulam obſidens. Vicquius ſuprà memoratus. Bironius filius Bibractam, Diuium, & inſignes locos quos diſtraxerat conſpiratus, Henrico reſtituit, Sequanorum non tam victor quàm vindicator. Hos populos Ludouico vndecimo Franciſque, olim noſter Cabillonenſis Arauſiorum Princeps arte comparauit: recuperauit enſe Bironius. Longouillius, ope Lanôis, Giurij, & Humerij, conſpiratos Siluanectenſi pugnâ fudit: mille quingentis cadaueribus, quę pinguis ſtercoratio, noualia in fauorem aratoris tegens & fœcundans. Aumontius trux apud Ibericum iugulator, in vltimis Armoricis Quinpercoram cepit: Croſilij arcem ori portus Briuatis impoſitam, cuſtodemque Hiſpanum ſimul proſtrauit. Caſtilonius nullo geſto Principis abſens, cuncti

particeps: & ante Henrici principatum, anno Cultraſſino, horribilis Germanici exercitus primam ducẽs aciem in malorum fronte. Dein bello ciuico, atrociſſimæ deſperationis aduerſus Sauoſam dimicatione clarus: quâ nobiles confoſſi ferè ducenti, ipſe Sauoſa præda fuit. Annæus Anglures Giurius, præfectus vexillis equeſtribus, nobilium doctiſſimus, deliciæ amorque totius militiæ, omni ſpe maior. Præmaturo fato Laodunenſi obſidione adẽptus, dedit acceſſum contubernali Bironio ad laudem incomparabilem: ſolus enim comparandus, aut ſuperaturus. Nullius inuiſa regi fortitudo: traxit tamen è virtute Giurius apud regem abſconditæ & honeſtæ decus inuidiæ. debebat Princeps victoriarum pater æquè iudicare de merito: nam apud Poëtam es

Olympia,

Olympia, non ſolùm mater certaminum, ſed domina veritatis. Franciſcus Spinæus Sanluces, alacer & diligens, in miniſterio regio regis effigies. Laturius per omnigena ſolers, & legatum Lotaringi Ducis Ambliſium perforauit: & Mansfeldij denſum equitem afflixit in Luceburgica. Humerius Corubiam inuadens præſidiarium trucidauit: vnus è præcipuis qui Haneſium irrepsêre: vbi cæſi, capti, mille ducēti milites: Iberum mœſtitiam ſanguine ſuo & lacrymis noſtris compenſauit. hæc ſuo marte geſsêre duces, quos videmus in vſu & armis: cætera geſtorum, militiæ principalis miſcuêre conſortio. Inter iuuenes qui diſciplinam regis ſequebantur, præcipui honoris fuit Gonzaga filius, Hiſpanorum caſtra cum trecentis quinquaginta equitibus, comite Vicquio penetrans, Ca-

meracum obſeſſam inuolans, non prohibente Fontani ferociâ. iſtud auſus adoleſcens geſtum viri ducis. quare tranquillus Princeps Gonzagam iam virum regni curis aptauit maximis, & deſignauit inter primos exercitus duces. nam imminēte paulò ante obitum expeditione, præfecerat cunctæ equitis vexillationi.

Nec ſolùm dilectus militiæ ſuæ Princeps, ſed nil tam mirabile, quàm eum cui inſidiata ſunt iuueni, & clādeſtina & manifeſta odia, ſenem regnaſſe amoribus cuiuſuis generis mortaliū, adamatus equiti: próque exemplo cita Guiſium: is primi olim inter conſpiratos nominis, deinde notatus eſt primi inter nobiles obſequij. non fucare coram Principe faciem, & parare fraudi: non mediis diſſenſibus aulæ ſe commiſcere, imperiis regiis nō refragari murmure,

vel nutu: extra rectum non verſare mobile ingenium. plebeius verò fuit amor non ſolùm vehemens, ſed præceps, qualis Lutetianus. plebs illa & præſtigiatricis conſpirationis effigiem, & 'Erinnyum factioſarũ imagines, publicè igni tradere & perdere: & regio cuiuis dicto flagrantes parere: & gradiẽtem in publico ſpectare nunquam abſque plauſu & voto. abhorrebas France puer Henricum, & vir amas. ſi quis vir opprobriis & vi inſecutus, ſenex veneraris: applaudis dextrâ, olim maleficâ. vnde tanta mutatio, niſi mentium eſt domina Principis diuinitas? fecit Hẽricus pœniteret Gallos facinoris: inſaniam faterentur. at ex illa animorum mutatione nil inconſtans in Principe. vultus domini regnantis, qui velut priuata ſorte de regno certantis. quos miles amplexus fuerat,

eodem habet fauore Princeps. ab vtroque nil differt. ſcis tamen differẽtiam eſſe fortunæ: intelligis & credis regem. mutauit certè fortuna mores: nam imperans melior & mitior imperio factus: oſculatus etiã quos hoſtes fuiſſe non meminit. dempſit flagitanti iuſtitiæ pœnas aduerſariorum, vt tranquillitatem ciuiũ amori ſuo tribueret: atqui tranquillitatem reges multi ſæuitiâ ſuppliciíſque exigunt. Mutauit fortuna mores: nam vbi Princeps iubere cœpit & prohibere: ſtatim experti ſumus à proteruis & procacibus, ſecundùm eius præcepta fieri, vel abſtineri. Non
" mutauit bonos fortuna mores: quã-
" do nectũtur maieſtatis imperia cum
" gaudiis publicis: nílque in recto innouatum, tametſi iuſſus regios agnoſcimus dirigere obliqua in rectũ. ſentio in Principe, nec aliàs veriùs

probari video, prudenter dixiſſe Stoicos virtutem eſſe tenoris ſui. cùm etenim ſit æqua ſibi virtus, iam accidere in bono Principe, vt ſit à ſe diuerſa, non poteſt.

Perſpicua amicitias comparantis benignitas, & cùm potuerit Lutetiam maturiùs recipere, victoriam differentis: vt ducum Veſpaſiani cõſilium fuit, validiſſimo cum exercitu oſtentare potiùs Romæ bellum, quã inferre. ſcrutari cauſas huius Flauianorum facti, alienum eſt. cauſæ citantur in Rege. ne ſi vrbe citiùs potiretur, prædâ onuſtus mollíſque, & pondere opulentiæ feſſus miles flueret: ita exercitu mercedem belli adepto, militiam excutiente, ſuperueniens Hiſpanus deſertum Principem fugaret, aut caperet: & iam ſe Farneſius accingebat. meliores exiſtimant vrbe abſtinuiſſe, ne poſſidendo per-

deret.tunc operoſum inopi regi, nec adhuc ſummo iure vtenti, victrices legiones amouêre prædâ & ſpoliis: vt Othoni recens imperatori, nondum authoritas iuerat ad prohibendum ſcelus, militi iubere poterat. at poſtquam Farneſio victo, plena potentis regis in caſtrenſem nequitiam fuit authoritas; introductus in vrbẽ deditam exercitus nil indignè fecit, aut voluit. æquatus militis & ciuis amor: ſpectauit bellator abundantiam, nec rapinam concupiuit: vidit ciuis armatam militiam, nec inuidit malitiæ. totam hanc quæſtionem cur indignatus rebellioni Princeps, ipſamque obſidens fugerit debellare: ſoluit ipſe, regiis edicti verbis. poſt trophæa dedimus iis viuere, qui noſtros indagarãt annos. noluimus tales victimas exhiberi victoriis noſtris. miſerti ſumus vrbis regiæ, ne depræ-

datione periret,ne boni prauíque ciuis flueret confuſus ſanguis,fugimus lugubrem obedientiam. maluimus non obtinere noſtra, quàm exponi cultellis innocentiam, matronas raptui, rabiei pueros, igni ædificia, furoríque rerum elegantiam.

Nuper ciuis muta compita tacitus oberrabas: non auditus tibi per deſertas vias ſonus, niſi fortè fœdæ, barbaræ, & incognitæ vocis: agnoſcebas tamen iuberi, nec intelligebas quid imperaretur. ſi quæ tibi difficiles viæ, non illæ frequentes ciue, ſed militari ferocia & extranea. ſilebant leges,aut ſi quando locutæ,hercle vt occulti profundíque doloris non manant fluúntque voces, ſed per interualla & ſingultus erumpunt. ſolitariç bibliothecç,aut ſi à docto quodam habitatæ, non lucubrationes, ſed luctum teſtabantur. vacuæ ſcho-

læ,omnis tibi papyrus in caſtenſibus vigilúmque teſſeris.ſpecta nunc cultus tuos, & exclama regis clementiam!

Apud Ibericum mediâ ſtrage, audita vox Principis: exterum feri, parce Franco miles. Vt acie Pharſalicâ proclamauit Cęſar, ciuibus abſtineretur.

Nec immitis in exteros, qui neceſſariç ſtragis iracundiam verterit in ipſos.æternum Princeps erit Emblemá clementię, in quoſuis mortales promiſcua venia. At inter enſes parcere & miteſcere magnum eſt, quantò magis arma humanitati obſiſtunt. quare in vulgari & comperta benignitate Principis, miror plures Iberos Lutetiâ capta,fœni obuolutos faſciculis, repertos loco ſordido: vt capto à Vitellianis Capitolio, Flauiaui quidam contecti, & inter

Clientium ſarcinas abditi. verùm effugêre Flauiani certam Vitellianorum ſęuitiem: Iberi cur quęſiuêre latibula aduerſus inquirentem Principis clemētiam? niſi quod è grauibus offenſis nocens, & implacabilis iniuriæ conſcia gens, clementiam deſperauit à clemētiſſimo. omnis enim " victoria impetu ſuo fertur ad vltio- " nem: & vltio ſapientes dementat ad " immanitatem vſque. Cicero cenſens in Lepidum & Antonium ſeuerè, in liberos inſontes crudelè: nititur probare ſæuitiem exemplo procùl exquiſito & inepto, quod Themiſtoclis filij Athenis eguerint. victoria tulit Henricum ad gloriam: cingitur gloria decori terminis. non filij noxiorum eguerunt ſub ipſo: nocentes imò patres non pœnis, ſed pignoribus compenſati in ſpem futuræ integritatis.

Scribo clementiam expreſsè. defertur Maieſtatis Bironius, rex ad ſe venire iubet.

„ Experire Bironi beneuolentiam „ meam: omnis culpa poteſt à Prin„ cipe dilui, & volo de atrociſſimâ ve„ niam à me impetres: exiſtimas me „ crimina perpendere? ignoro ſcelus: „ non didicit flagitia Princeps: vindi„ ctam neſcit. vident ſcelera qui per„ ſequuntur, res intelligitur vt cuiuſ„ que ſtudium eſt, & cognitionis æ„ mulatio. fatêre delictum, auſculto vt indulgeam: aberunt dicto iudicia, odium, carceres. inuides clementiæ meæ Bironi, fateri negas. dum apud „ amicitiam meam agis, ſi non inficia„ ris, ſaluus es. ſi reus ſemel apud am„ pliſſimum ordinem diſceptas, etiam „ ipſum te criminaris? nocentior es. „ tunc declarando crimen delere ne„ quis. Nec poſſum crimine publico

exſoluere, ſi cùm manifeſtus deli- "
cti fueris, partem humani generis "
nequitiæ tuæ malè prodidero, quam "
vitæ meæ periculo hoſtilibus impe- "
riis eripui. Non tacet lethale dictum "
quiſquis ingenuus venit ad pœni- "
tentiam. ignoſcunt reges ſolùm ex- "
purgatis: excuſa crimen, aut niſi pœ- "
nitentem abſoluere nequeo. "

Locutus Rex, abiurantem ſcelus & aperire refragantem iubet in carcerem deduci. & vale Baro, inquit. nam de Barone generoſo Dux olim factus, nunc de reo Duce Baro rediit. Capita accuſationis erant, de nece Principis, & perniciê Francûm. quòd incitare regem ſtatuerat ad explorandum hoſtile caſtellum, vt munimentis proximum telo præſenti obiiceret, deſcriptis apud hoſtem perſonæ regiæ notis. quod facinus aggrederetur ſub pacto con-

iugali Sabaudæ Heroinæ. Quod ſcripto monuiſſet hoſtem de militis regij numero, & rerum penuriâ. interrogatus in Senatu diſtinctè & copioſè reſpondet: ſic ferè locutus tàm apud iudices quàm reuerſus in carcerem, ſi quibus patebat aditus.

„ Non refuto iudicium Principis:
„ cur ab optimo repellor? læſi? non
„ offenditur maieſtas ſi apud eam de
„ innocentiâ diſſeritur. cur apud iu-
„ dices dixero? non cognoſcitur de
„ vitâ meâ: victoriæ, triumphi, mo-
„ res ſunt mei: trahunt verò ad carni-
„ ficem qui calumniantur in ſtrenuo-
„ rum animos. vetat fari & expurgare
„ miſeria: vt vinctus ſum, pœnis vo-
„ ueor, tametſi nunquam conuin-
„ cendus. cuius egò criminis manife-
„ ſtus? conſpiraui in ſalutem maieſta-
„ tis. credent iudices ſi dextram iſtam
„ adſpectant, quæ gladium tranſade-

git per exercitus imperio Principis " infenſos. nempe iccircò latus meum " nudatur enſe, quia enſis virtutis inſi- " gne verè & fortiter crimen excuſa- " bat. Hoſtem centenis fregi præliis, " nec aliàs quàm in præliis clariùs pro- " tegitur maieſtas, & maieſtatis inſi- " mulor. at de exponendo rege cogi- " taui ſub aggeribus hoſtilis arcis ſpe- " cie locum ſpeculandi: vt adhærens " mihi, vel Sabaudico ferro transuer- " beratus, vel exeuntis præſidiarij à me " traditus inſidiis occumberet. cur er- " gò regem nō perduxi ſub aggerem, " non inſinuaui munimentis, non pro- " didi? cur volentem ſubire mœnia re- " traxi? quia fidelior me non fuit " quiſquam miles. Fiſus ille obſequio " meo, viuit. cogitarunt parricidia qui " falsò in me reiiciunt. conſulant iudi- " ces numen Principis: pronuntiet de " me Regis ipſa religio, cur diutiùs vi- "

„ uo ſi condemnát ? ſed ambiui nu-
„ ptias Sabaudæ Heroinæ; amantis er-
„ go crimen eſt: nulla virtus abſtinen-
„ tis? ô miſer! tam cùm ſtudes optimis,
„ quàm ſi negligis maxima, æquè ſce-
„ leſtus es. ſic quod ſcripſi reus ſum;
„ non licuit duci ſcribere commenta-
„ rios, non condere præſidia labentiſ-
„ que ſupplementa memoriæ. vni du-
„ cum imitari nefas quod cuncti &
„ veteres præſtitêre. inconſideratè lo-
„ cutus, meditatus temerè; ſed ferè
„ biennium eſt, & veniam oranti Prin-
„ ceps condonaſti. an credidiſti tunc
„ abhorrenti ſcelus? ſceleſtus non ſum.
„ an fatenti diffidiſti? at biennio te ſe-
„ cutus, tecum ludens, venans, te ve-
„ neratus. quid nuper peieraui? iſtud
„ quod olim vici, recens deliqui. quod
„ ſi me vt Princeps audiſti cùm par-
„ cebas, abſoluor. ſi vt amans audiſti,
„ fidem impetro. vis fatear? & hoc

quòd ſcelus non agnoui, fateor: "
ignoſce Princeps. "

Talia pro ſe vehementer loquebatur, abſentem Principem appellans. & addebat: Mitte me in Pannonias damnatum pœnâ graui ad "
Turcos, beſtiæ ſunt. vſus es has dex- "
trâ aduerſus Chriſtianos, vtere & "
gladio aduerſus Chriſti oſores. tandem criminis manifeſtus, centumvirali iudicio condemnatus, capite truncatur. cùm præparatur ſupplicio: Heu quantum, inquit, lætatur "
Hiſpanus de letho meo! Opinatus "
eſt Bironius de ſe, quod euenit in Conſtantino ſtrenuo Græci nominis duce. Maieſtatis reum puniuit Iſaacius Princeps, & diem ſupplicij feſtum egit Græcorum hoſtis Aſanes Valachorum dominus: gaudens cruciari tortorem crucéſque ſuas.

Quidam malè opinari de con-

demnatione Bironij, quia veniâ impetratâ in comitatu Principis fuerat. alij dicere, nullam eſſe veniam, quæ ore Principis extrà iudicium pronunciata, non vllis Principis ad Senatum literis conſignata, non à Senatu confirmata. & hos & illos, breuiſſima hypotheſis docebit appoſitè. Flauius Archippus falſi damnatus in metallum, viuebat non ſolùm extrà pœnam, ſed inter iudices. quidam reddendum pœnæ inclamarunt. ille reſtitutum ſe à Cæſare, vt nec Bironius, docere libello publico expreſsè non poterat: ſed quod reſtitutione inſignius, proferebat literas Domitiani Cæſaris ad honorem ſuum pertinentes, ſcriptas viris clariſſimis. cur ergo reſtitutione egeat nocens clarior apud Cæſarem quàm innoxiorum plurimi? repetatur vetus Bironij conſpiratio ante bellum

Sabaudicum : opponat quis non apparêre de veniâ à Senatu comprobatâ : ſufficit poſt apertum crimen complexus principis: datque veniam qui honorat. ſed reſpondit Traianus. ſi quid noui criminis Archippo obiiceretur, de eo audiendum. nam qui noui delicti conuincitur, vetus renouat: redit in cauſam delictum priùs deletum. pars vitæ poſterior non ſola crimini eſt, imputatur tota. « eſtque peccatum recens grauius, ex « gratiâ præcedentis.

Vt Farneſius, ſic Bironius naturâ ſuâ non mulieroſus. quamquam militis petulantiam interdùm ſineret effrænem vagari, ſerò ipſe & niſi per pacis deſidiam aulicas inter delicias, paſſus ganeonum ſe proculcari corruptelis & proſagogiis. infeſtabat aulam hæc nequitia quæ poſtremò iratos popu[illegible] fecit ſuperos. molli-

tiem Bironius guſtauit, nec vlli ſe immerſit: quæ virtus antiquæ ſocia. nam inferioris ætatis reges, principes, priuatos, ſi qui ducum famam adepti, neceſſe eſt veterum claritati cedere: quia deformes næui tres, libido, ſeditio, rapacitas, in facie ſordeſcunt. ad Catonem ornatè ſcriptum imperatores pauciores repertos, qui cupiditates, quàm qui copias vincerent. docuit eruditus author totum hoc theorêma, in ducibus quos florens Græcia tulit incomparabiles. Euergetæ ſunt, inquit, Patréſque totius Hellenici, Miltiades, Themiſtocles, Cimon, Aratus. & horum victorias loquuntur, Marathon, Salamis, Eurymedon, Cleonę. nec apud Platęas victores Euergetæ ſunt, Iuſtus Ariſtides, & Pauſanias, infamis iſte ſtupro Byzantinæ virginis, obſcænus ille per turpes

artes nouæ rapacitatis in græcas inſulas: cùm immune inſuetumque tributi, totum anteà eſſet Hellenicum. at in Alcibiade, Phormtione, Braſida, Lyſandro, amplifica è virtute nefas. Scrutati parricidæ victorias in effoſſis patriæ viſceribus. propè Cyzicum naumachia, pugnæ Naupactię, Amphipolis capta, Athenæ mœnibus & imperio nudatæ, peſſima notant ſcelera clariſſimis locis & rebus. Sunt ergo victoriarum opprobria, libido, rapacitas, ſeditio. tantò dux illuſtrior, ſeu rex, ſeu Princeps, ſeu de mediocritate ille prouectus, quantò minùs ducem maculæ tres infecerint. profuit definitione, aut eloquio monſtrabili declaraſſe honeſta ducum, quia duces narramus plurimos, & expedit agnoſci.

Bironio non libidinoſo ſtatura iuſta, tori ampli, pes breuis, membra

cuncta concinnè & compoſitè. facies fuſca, non liuida: naſus rectus: capillus niger, & paulò hirſutus: ſupercilium tetrum, nubilúmq; : oculus depreſſior, ſed micans. inceſſus conſtans, non tardus, ac verè vt audentis & magnanimi. vox candida & diſtincta: totus corporis habitus militaris horrorem amori commiſcuit. rarus illi ſermo: ſi quandò locutus, fusè & tersè. Oſtendit artē quando Diuiones de pinnis murorum ſpectarent, ipſe foris adequitans, dextram tendens, mucronem exſerens:
» Hic gladius, ciues, regius eſt. validus
» vos protegere, & proſcindere con-
» ſpiratum, qui palans circumfuſus vr-
» bis vias, inteſtina exedit veſtra. re-
» ſerate modò portas, rumpite peſſu-
» la, & inuolabo dux ad necem extra-
» nei, & ad ſalutem ciuis. Domi, & in circulis, capite plærumque nudo, ca-

pillos retrò miſſitans, dextrâ fricans & mulcens, recitare geſta. ferali eloquio nec falſo indignationem Principis irritare: nimius demonſtrandi & laudandi quæ fortiter confeciſſet. id ſolum incautè facere, gloriari ſuperbè & veriſſimè quæ meruiſſet. Mœſtus prętereà verborum finis, quandò Principis veritas & ſubditi magnanimitas prauè confligũt. Lugubre eſt & aliquando lethiferum, audire hos Principis de ſubdito ſermones: præſenti cæde dominus ego "
liberaui militem. vidi virtutem ho- "
minis vertentem terga. certum eſt, "
vt dictum Principis non ſit in obſcuro: hippomachiâ in limite aduerſus euadentem Farneſium, adoriente hoſte confixum lanceâ & gladio Bironij equum: Fontanâ, accepto in capite vulnere, inundatos ſanguine oculos illi caligaſſe: vtróque pericu-

lo prouidentiâ maieſtatis ereptum. at meritò; bonus enim miles non adiutus in periculis, denuò non periclitabitur. hæc inuicem ſubditi de Principe verba, ſi vera, funeſta ſunt: fugi ſecutus Principem. cuiuſdam ſimile, fronte meâ talos eius & calcem protexi. ſed de Regis, Bironijque dictis nil affirmare velim; ſi quidem incondita & inſana multa fert ſcribitque vulgus. rumor fuit maximè incendiſſe Bironium ad iram vindictámque, quòd de geſtis ſtrenuorum locutus Princeps, ac de Bironio patre orto ſermone: commodùm obiiſſe parùm vtilem miniſtrum, palàm dixiſſet. vt olim Germanici præclara facta pro ſuperuacuis Tiberius eleuauit. ira inquirit verſatque cauſas.

Inſignia cum Principe geſſit, maxima, & multa ſine ipſo. omnis

caſtrenſi viro virtus adfuit. Duæ inſignes quę multis furor & temeritas, illi audacia & celeritas. Si iuſtum cum imperij libertate duxiſſet exercitũ, nõ Alpes Tauruſque: non Rhenus, non Euphrates inſuperabilis: nõ Parthus vel Scytha ineluctabilis. tãta ſpes ſupplicio perijt. vnde diſciplina ducibus qui in liberâ ciuitate ſub legibus, vel ſub Maieſtatis oculis viuunt, poſtquam tranquillis rebus tâcent litui, domi ſe habere, & abſtinere publico. ſic Põpeius poſt triumphos duos, è victoriis Magnus, notatus eſt liquiſſe fora. nam qui in- " duſtriâ politicâ & gratia principali " florent, militari gloriæ per pacis otia " inſidiantur: ibi ferocia cedit inuidiæ " & ignauiæ: virtutemque vincit do- " lus. Furtiuis ſuffragiis condemnatus Aiax: & ſolo Vlyſſis Politici liuore ad lugubre excidium redactus.

Extincto Bironio, quidam vituperare Principis ingratitudinem, nec prætextum vllum approbare. Principi viuendum ſoli bono fortíque, vt Alexandro poſt cędes ſuorum, cui aliena virtus inuiſa foret: ferę ſpernunt cicures beſtias, ſed odêre feras ſuique ſimiles. expurgare alij,
„ conſilium ſani Principis non ſęui ia-
„ ctare. Honoris Bironio ſatis habi-
„ tum, redditam geſtis gratiam: ſed
„ publica flagitia vlciſci, hoc etiam virtutis eſſe. ſummo periculo ſeuerum adhibitum remedium. nulla re plus terroris iniecit ſuis: fama etiam ſuſpēdit exteros multū in virtute ſua confidere, qui virtutē ſic affligeret.

Maximè timendus extitit, quandò ea rex deſtruxit, per quæ timeri volunt reges. arces vrbium plurimarum euerſæ, aut iubente ipſo, aut ruinas probante: optimum facinus

integrè regium. quippe arces cœpe-
runt erigi à regis Caroli imperiis in-
ter belli Hugonotici inteſtini da-
mna, ſpecie ſalutis & ciuici refugij, ſi
vrbes interciperentur: vt haberent
victi receſſum. deinde per diſſidia,
vt peruerſa fuêre cuncta, & deſpici
rebellione maieſtas cœpit; præfecti
vrbium rectoreſque Prouinciarum,
locis eo ſubſidio non egentibus cō-
ſtruere arces, exemplo locorum qui-
bus vtile fuit muniri. Prætextus erat
nullam regni partem vacare hoſte. at
hoſtis præcipuas vrbes abſque arce
tenuit: Hugonotus, Rupellam,
Montalbam, Memauſum, Monpeſ-
ſulam. Conſpiratus: Lutetiam, Lug-
dunum, Aquas Sextias, Pictauos,
Ambianos, Toloſam. ad hæc Vale-
ſium complexati Turones ſponta-
nei & liberrimi. repere tamen perni-
cioſa peſtis in rempublicam, dein re-

gnare gemente populo. vtile mehercules ſic frænari ſeditioſos: in quibuſdam vrbibus, temeraria niſi ingenia debellas, nunquam iure cohibeas. Sed quod vni loco profuit, nocuit locis mille. nam quia milite firmandæ arces, nec ſine ære vigilat miles: grauioribusque tributis exigendus ſanguis, exſugendus ſuccus plebeculæ. non hæc ſola clades, à milite quoque ſæuo iniuriæ acceſſerunt: furit vigilis petulantia, ſeruatque ciues vigil miles ſæuiendo. prouidè Antigonus Perſęum Philoſophum arci Corinthiæ præfecit, ne mala inde exirent vbi ſapientia dominaretur. non hic detrimentorum finis: illæ quamquam in publico vagantur miſeriæ, priuatorum tamen ſunt. ecce vltimam inſaniam. Minutus quiſque arcis præfectus, habet ab rege imperium, & regios ſibi per colligatio-

nem fecit animos. dùm factiones amplectitur, Hugonotus hic, conſpiratus iſte, inuiti populi cogente prçfecto adhærent factionibus, quas odiſſent: datum virtuti frænum. ſic præfecto Atheniẽſis Munichiæ ſcripſit Antigonus: *Cathenas firma, ſed canem debilita.* non ſufficiebat arcem protegere, ni præfectus ciues protereret. & Philippus iunior, Acrocorinthum Græciæ pedicas nominauit: nimirùm vinctæ tunc virtutes, cœperunt omninò nó mouêre pedem. at Henricus exiſtimauit non opprimendam libertatem vrbium, quæ tàm liberè ſeruirent. Leuanda paupertati tributorum onera: implendum fiſcum tot impenſis inanem. regendi authoritatem ſibi Principi, & pacis ſecuritatem plebi muniendam iiſdem ruinis munimentorum. ne deinceps ciuis ſolo conciperet

animo reges: experiretur re, multos regulos. nil ſapientiùs quàm ex vrbium libertate fecit ſuam: adeò ingratus infauſtæ ſtructuræ! luxante conſpiratione, ſcripto publico promiſit ciuibus, ſe Rotomago, Aureliæ, Pictauis, non impoſiturum hæc mala: vrbibus florentiſſimis promiſſa firmauit ſacro chirographo. poſt aliquot annos, Pictauis ſuſpicantibus ne in edito vrbis erigeret: volo,
» inquit, arcem & in cordibus veſtris.
» non ſic excubię quàm tutatur amor. ſolos Ambianos hâc cuſtodiâ ſtrinxit, intercipi ſe Hiſpano dolo incuriosè paſſos, punitâ negligentiâ. verùm ad municipes Sācti Machlouij, hic portus Oceani magiſter Britoni-
» ci, edicto miſſo: Odi alia, inquit, in
» municipio præſidia vel arma quàm
» virtutis ciuicæ.

Nullus Henrico rege priuatum

publicumque rapuit: à nemine exiit vox, neſcire magnates priuatos viuere. proceres æquitatem exercuêre cum viliſſimo. non infames viæ latrociniis, ſaltus inſidiis. ſuum quiſque vltrò poſtulare: de ambiguo diſceptare quantum moribus introductum: vt virtus exerceri ſic libertas. vrbes quietæ: nec imagines vanas belli, nec ſatellitem ciuis abhorruit. gratiſſima vox cuiuis ordini, Sic vult Princeps iubetque. non enim quòd potens, ſed quòd optimus, voluntas ipſa ius fuit. præſumpſit quiſque de ore principis æquitatem: non quòd vocem imperantis perpendere non eſt licentia, ſed fruſtrà examinatur quod ius eſt. Denique vt ſereno cœlo ſilent cuncta & quieſcunt, non fragor nimborum, non ventorum ſibila, non tremor aëris conturbati: ita ſub Henrico ſedati ordines, muta

cuncta ſub dominatu, tranquilla, nitida.

Cum ſociis populis, Venetis, Heluetiis, Batauis, cumque fœderatis Principibus, præſertim cum Pontifice, amicitias manſuro ligauit adamante. vt fidem religiosè ſanctéque habuit, ſic minas executus acerrimè, ſi quis certâ die pactis non allubeſceret: concordes minas fecit cum vindictâ. pro exemplo eſt expeditio Sabaudica: vt miſericordiam, ſic iuſtas iras noluit Princeps eſſe fruſtrà.

Abundauit Henrico frugali fiſcus apud ſuperos reges inanis, vacillante olim ſub oneribus imperio per contractum æs ingens, longis ſpatiis, profuſione, & bellis. Triginta priuſquàm rempublicam adminiſtraret annis, fuit in ære qui tunc rerum potitus Franciſcus Secundus, ſupra cẽties centena millia numûm aurêum:

computa æs poſteriorum Principum. non potuit exſolui portentoſum niſi locuplete fiſco, & à prouidenti principe.

Largitus eſt optimis & merentibus, nec vnquam beneficiorum deſideriis afflicta mœrénſque virtus. apud epulones, prodigos, & immerentes auarus dictus: quia dantis nulla fuit vnquam cœcitas aut temeritas. beneficium erat iudicantis induſtriam & amantis. dabat enim de penu & è pectore, ditare ſciens & diligere. Sic tandem maximum apud ſubditos diligentiæ munus, amorem conſequi principis & iudicium. ſummam donorum annuorum circa Francos computauit vir grauiſſimus, dixitque è pulpito, decies centena aureûm numûm millia: circa extraneos pluries centena millia. æſtima annua millia pro vſuris debi-

" torum per ſuperiores reges contra-
" ctorum: & crede tot millia minuta
" liberalitati demptáque.

Quò liberaliùs donauit optimis, eò ſeueriùs iura maieſtatis apud ſe retinuit. Diuidebat fructus imperij, maieſtatem ſeruauit indiuiſam. ſic
" locutus magnanimus Iaſon: Reſi-
" gno tibi Pelia, agros fertiles, lætos
" greges, pinguiáque armenta: at ſce-
" ptrum mihi totum tribuo, thro-
" númque ne partire mecum. tibi
" opulentia, mihi poteſtas eſto inte-
" merata.

Cum liberalitas egrederetur foràs ad extraneos: nullus vnquam extraneus repulſam fecit donis Principis, Honorium prçter Capuçinum. Honorius honos caſtigatæ ſcholç, horrens miſſos execrabiles in aurem ſuſurros, & conſcire ſcelus: horribilius autumans in alienam conſcientiam

tiam per aurem ſecretò execrationes ſuggerere, & ſuadere. Sciens regis trucidationem ſcelus eſſe infandum: non auxit flagitium ſcientiâ differentię. non diſtinxit de Rege hoc aut illo: quia, vt ad ſalutem non eſt Cretę, vel Græci diſtinctio: ſic nec ad perniciem. detexit parricidij inſidias, & ex ipsâ Italiâ reuelauit. virtutis fœderatus, non ſub virtute mercenarius. Spreuit Honorius, refutauit regia, immenſáque munera aperti facinoris, nec paſſus apud ſuos. erat vero ſpernendum munus Principis, quia nimium offerebatur: non enim diſtinxerat de muneratione Princeps, doceri cupiens de voluntate petentis, pronus explere deſideria. non fuit Honorius qui peteret, quia effuſior erat Princeps qui daret.

Militiam non fraudauit ſtipendio: diſciplinam attendenti & fir-

manti, præcipua cura etiam pace legionum exercitamenta, robur imperij. Illuſtrauit hanc meditationem ingenij. Sperare velis quæ deſtinarat, fecit voluntas cogitationi locum, non ſeruat deſtinatis. dignum Cyro hoſpitium; nam & Reges noſtros Cyros appellamus, & ſic habitare decebat quem gentes colerent. ex vrbis elegantiâ, natum in hiſtoriis ſcomma Principis apud Iberi regis Legatum ædificia Ibericæ poteſtatis extollentem: Quæſo, inquit Princeps, è feneſtra Luparinâ vrbē oſtendens, an ædificat tali cum ſuburbio? argutia hæc optimi Principis diſſimilis eſt ſuperbiæ? argutia hæc optimi Principis diſſimilis eſt ſuperbiæ Dauidi periculoſæ de numero ciuiū: monarchæ Aſſyrio, de ſtructurâ & vrbico domicilio, cui vox vna in ſcelere: *hæc ingens quam ſtatui Babylon*: &

à ſuperbè dicto fera extitit. Optimũ Principibus, ſi domos ædificant, deſtruere ſeipſos.

Vtrumque pelagus ſociare deliberauit foſsâ Garumnæ inductâ in Narbonenſi. aggreſſus eſt Ligerim Sequanæ fœderare. nauigia Clanij Pictauenſis dorſo impoſuit. poſt tot bella reſiduam doctrinæ lucem conſeruauit, recipiens ſuperſtites literas, vt ſuccedentibus bonis ſtudiis ſcelera relegaret: inter cæteros Auſoniũ Atticum, mellificium in Academia docuit Federicus Morellus.

Cuncta vrbana opera ſuperauit diuinum ornamẽtum, ſtatio virorum inſignium, & fauor vndique cõcurrentis induſtriæ. viri octo per memoriam decurrent ad poſteros in exemplum ætatis. Cofetellus Dominicanus ſcripto, ſed voce cominùs & à fronte hoſtes ſacri Entelechiſmi

verberans. Chopinus & Robertus Iuriſconſulti. Quercetanus & Laurentius medici. Caſaubonus eruditione Græcâ, & variæ lectionis venuſtate laus humanæ artis: hugonotus ſi quidem à Polo, vel Helice, ab Helicone non tulit repulſam. Seruinus Themiſcopus, per multos annos ſubſellia tribunalque aureum ſuſpẽdit eloquentiâ regiæ dignitati patrocinatus, gerens Franci iuris graues curas, in periculoſis reipublicæ igne ſeditionum inflammatæ negotiis. Thuanus virûm maximorum decus, litteratum ſpecula, toti affulgens induſtriæ, florentiſſimus rerũ Francarum ſcriptor. horum octo virûm legere potes ingentia & numeroſa volumina, ſacras induſtriæ humanæ reliquias.

Viduatis Eccleſiis integros Pontifices vel eruditiſſimos reſtituit: nec

huius ſacerdotij fuit illi neglectus. reddunt Principi gratiam diſciplinæ, quòd ſuper plures, ſuaui doctâque facundia verbi oratôres tres Cathedrarum culminibus intulit, Perronium, Suarem, Fenolletum: fidelium ſolatia, & fidei fulcimenta poſt putres Eccleſiarum lapſus. ſed Pater Sacerdotum Perronius diuinas apud Francos cunctorum vigilum rexit excubias. ſublimis tunc viſus & auditus è ſuggeſtu præſul Coſpeanus, migrante Perronio primas vrgens vigilias: etiam nunc pigra Cathedræ ſedilia fugiens, Apoſtolica tranſit deſudans in pulpita. maluerunt ſub Principe eruditi Abbates nonnulli & Epiſcopi, populos docêre vt Apoſtoli, quàm ducere vt Paſtores & Petri. dignos tanti laboris ignes ſuſcitauit Henrici pręſentia, quòd ſciret ſapiens quiſque audiri ſe à rege,

docere regem.

Gaudebat Princeps non tumultuariis & inſanis, ſed doctorum virûm commiſſionibus certari de fide, lætiſſimúmque illi ſpectaculum ſterni Hugonotos. præfuit Agonotheta piis certaminibus, mittens vltrò in certamen celebrem Perronium.

Iacobus Dauius Perronius, vir aulicus, doctrinâ vitâque non aulicâ, ſecreti Muſarum conſcius, peritus ſacras paginas facundè explicare, ſententiam ſuam de re controuersâ ſubtili enthymemate cõcludere. Hugonoticos doctores primò Mantæ acri & publicâ diſputatione confutauit. iccircò ſacris & paſcendi populi curis dignus, à Principe Eburonicum Epiſcopus deſignatur. Romanâ peregrinatione, & fama præcedentis geſti, & eloquentię artificio gliſcit in amorem Pontificis: iubente Pontifice ſacerdos, dein

Epiſcopus ordinatur: quibus myſteriis incubuit nobiliſſimus Ioyoſa Cardinalitij Senatus Princeps. reuerſus Lutetiam, tàm abundantiâ dicendi quàm acrimoniâ præſtans, vibrat de ſuggeſtu in Hugonoticas opiniones induſtriè & vehementer tonans. at æquam deſcendit in arenam ex prouocatione, cum Pleſſæo authore Hugonoto apud Fontem Bellaquęum dimicans, quęſtionem falſi ſeuerè & fortiter agitat, vulgatâ per totum orbem victoria. vtilior Eccleſię Catholicæ quàm ſcribentium hoc ęuo quiſquam, eminenti pręſentique orationis fructu: ſubiugatis erroribus, non in papyro, ſed in animis non vilibus: conuerſo excelſo Sanſyo, & potentibus aliis. omni dignitate inſignis, pilei rubricâ clarus, Regię Eleemoſynę pręfectus: datíque illi tituli, vt titulos il-

luſtraret. non paſſus Princeps eſſe in eo viro virtutem abſque mercede mœſtam.

Rectores imperij elegit probos, fide prętereà & experimento comprobatos. inter conſortes ſacri conſilij adhibuit pręcipuos ſibi, Pręſules, Perronium & Ioyoſam: Proceres Mayennęum, Monmorencium, & Bethunium: togatos Harlęum nutantis olim Francię vetus fulcimentum, Beliurium, Brulartum & Ianinum. ſed Villaregius pręfectus ſacris epiſtolis, mens imperij. at quia populi ad Auſtrum ſiti, minùs fulgorem regis experirentur remotiſſimi à radiis: prudenter Toloſam & Occitanos Verdunio tribuit, Duuaro Prouinciam: quo igne & vigore Rectorum egebant prouinciales. dicendum hoc loco de eloquentia Franca, ad ſummam ea virium & ni-

toris dignationem venit: nilque illa floridius pronunciari humanis linguis poteſt. tantò mirabilior quòd heri nata eſt, & in vetuſto imperio noua venuſtate loquimur. primus Iacobus Amiotus Pręſul docuit terſè fari, deditque neruos orationi noſtræ. Blaſius Vigenerus toros addidit ornatumque. audax vterque verba inuenire, obſoleta concinnare, ſimplicia componere, extraria non ſine examine admittere. introduxit artẽ Duuarus & numeros: ab ipſius exemplis licet Franco abundanter loqui, ſed rotundè. ſummum ergò Principis iudicium virtutes adoptaſſe. Regiorum quorumdam comitũ ſuſpecta potiùs integritas, quã perſpecta malignitas. cor fictum conuincet decedens ætas: ſcelus enim tunc caligine ſimulationis inuolutum lucem oderat viuentis Domini.

Frequens apud Henricum aula crebris proceribus: quoſdam retinuit, vt eorum conſilio vteretur & amore: alioſ vt domi haberet, & doceret iure viuere cum cæteris. atque vt Marcus Cluuius aſſiduus & præpotens apud Vitellium Cæſarem, Hiſpaniam regebat abſens: exemplo Lucij Arruntij quem Tiberius ob metum retinebat: Proceres in Henrici comitatu adminiſtrarunt è longinquo prouincias, viderunt rarò quibus præeſſent: an Cluuij amici, an Arruntij ſuſpecti fortunâ exemplóque neſcio. fidis boníſque hic ſummus magiſtratus, pro omnibus fuit prouinciis comitatus & conſuetudo Principis. hæc diſciplinæ oſoribus moleſta quædam ſchola.

Circa inſidias ſecurus fuit & intrepidus. multis ante principatum annis, centurio quidam Michael de

fertur apud eum cogitati parricidij: notat indicium Princeps, & reticet. intereà per venatum in Allienſi ſilua Vaſconici ſoli, vt ardor figendæ belluæ trahit quemque in diuerſa, noſcit ſe vno fortè ſtipatum ſuſpecto centurione, & hic generoſo inſidebat equo: Princeps vili & venatico. tum Henricus moniti memor, opus cautione ratus; conſiliumque tegens: deſcende mi comes, volo ſubdens calcar equo illi tuo velocitatem experiri. paret centurio, & Princeps equum inuolans, tractansque bombæulas duas quę ephippiis appendebant: ecce, inquit, licet perdere proditorem armis ſuis. ilicò ſoluit machinas, & per inane fulgurat illæſo centurione.

Atqui publico interitus monitu non perculſus eſt. Mathematici Germani & Franci, infauſtum ſchema

patere nunciabant. minacia & euidentia præſagia, in hiſtoriis copiosè ſcripta. quercus arbor in area Luparinæ domus menſe Maio fixa ſponte concidit: in vicina tunc agens diæta Princeps appellatus, præſagium cōtempſit. egregius inter aulicos Baſſomperius è feneſtra ſpectans, retrò auſcultāte rege, aſſeruit ex Italorum Germanorumque diſciplina, Principis ſignificari caſum: quia vt in vmbra arboris animalia, ſic populi ſub Principe conquieſcunt.

Luctus ſic venit ad Francos. Princeps inexplicabile conſilium mente gerens, ſpecie conſeruādæ legitimis Dominis Iuliacæ, expeditionem ſuſcipit. ſed prouidus & attentus inteſtinis periculis: ne dum Rheni ripam viſeret, tunc patrij regni interiora ruerent: remedium fuit agnoſci hæredem filium à cunctis ordinibus: vt

ſub Auguſto priuignus, omnis per exercitus oſtentatur vna ſpes imperij. inaugurari Mariam Medicæam coniugem, ſpectari publicè matrem vxorémque imperantis: excipi vrbe, pompâ regiâ, obuiâ purpurâ, equite comite, & piâ præeunte pſalmicinũ Sacerdotum cohorte. ipſe pridie quàm Auguſta inuehatur vrbi, ſingula conluſtrat oculis, ne quid ſplẽdori deſit: inter magnificentiæ curas trucidatus Princeps.

Æquum eſt fortunæ ſubiraſci, quæ nunquam inter otia blandita viro, ſæpiùs lætitiam fœdauit inſidiarum mœſtitiâ. nec eſt triſtius infortuniũ, quàm immeritæ mortis; nam fœlicitatem facit & nominat ſolus finis. Quinti Metelli fœlicitas, per Coſſulatus, triumphos, cenſuras, filiorum magiſtratus, vxoriam caſtitatem, perpes non dicta eſt, niſi per lene ge-

nus mortis inter oſcula clariſſimorũ pignorum. atqui deorum quoque pectoribus luctus à maximis vatibus aſſignari videmus, non eximi triſtitiâ Pelidas. parilibus ferè excidiis bonos malosque implicat mortalitatis perfidia, de qua nullus opportunè diſſereret philoſophus. multiformẽ habent doctrinam Principes in his ſpeculis.

Crebra olim reuelata ſunt parricidarum conſilia, & euitata: inde dicendi copia narrandíque: ſed malo fugere narrationis abominationem; quàm affectare dictionis ornatum. Poſtremò circumuenta clementia, qui ſceleri & inimicitiis parcebat, nõ parciùs à ſcelere telum recepit. authores parricidij occulti ſunt, miniſter in aperto. certè Princeps & authoribus, & miniſtro flagitij, quàm ipſo flagitio miſerior. notæ ſunt cau-

ſæ, cur & Iaſon, & Philippus,& Cæſar interfecti. Iaſonem ademit fures è plagis iuuenum pudor, Philippum caſtitas non vindicata,Cæſarem afflicta libertas. video in illis rerum dominis obſeſſam dolo benignitatem, nec promptior caſus quàm ipſa cauſa.quæ furiæ Henricum abſtulerint, moleſtum eſt ex inferis ſciſcitari.

Fas eſt ſolùm conferre ſimiles magnanimorum exitus, & niſi per exitia. Alexander, Cæſar, & Henricus, veneno víque pereunt miſericordes; nam Alexander niſi ebrius nunquã iniurius. Cæſar qua die extinctus eſt ſacrificauit: curam mixta indulgentiæ ſeueritas: medicus enim vetat molliùs laxare neruos, violentiùs intendere: iubet fouere. ſi quos vnquã iuuit cohortium præfectos, aut nobiles ob fidè & ſtrenuè in ſummis periculis geſta,ornauit maximè Am-

bianam militiam. nôn celebriores in ſchola Socratis Maratonomachi, quàm chari illius expeditionis ſocij. in obtinendis priuilegiis & muneribus facilè impetrabat ea vox: Impiger apud Ambianos fui, ô Princeps.

Ingens illi armorum theſaurus: telorum & machinarum copia militare abundabat inſtrumentum. quibus virtutis bellicæ ſubſidiis, Poliorcetes Princeps, famam & terrorem ſparſit foras. ſiquidem apud peſſimos formido venit, pauórque è claua Herculis.

Plærumque bello pannoſus fuit, etiam pace. at in celebritate & panegyri, velut in excipiendis exterorum Principum legatis, non oſtro & lapillis abſtinuit. bellicoſus Iaſon pardi tegebatur pelle, interdum Magneſij moris amictum induebat. Profuſo ſumptu pompáque tranſmiſit legatos

gatos ad extrarios principes. præter cõmeatum & ſtipendium regium, legati de penu ſua largè impenderunt amore Principis. equi ſublimis Caroli Gõzagę apud Pontificem prodeuntis, aurũ non ſolùm mandebant in frænis, ſed in vngulis calcantes, rerũ pretia vſu viliſſimo proterebant. muli deſpecta animalia ſuperbiêre ſtragulâ ſericeâ ſuper impedimentum auro prætextâ: argenteâ calce incedebãt. fecit illud excelſus Gõzaga, ſeu pro regij ſplendoris merito, ſeu pro dignitate ſua, ſeu vt oſtenderet verum eſſe, quod *Natura*, vt ait Stoicus, *pedibus aurum & argentum ſubiecit, calcandũque dedit, & quicquid eſt, propter quod calcamur.* Ipſe Gonzaga gemmâ lapillóq; ſplendens, multis numûm myriadibus æſtimatus hic fulgor. veræ luces centũ & quinquaginta nobiles aſſeclæ. ſupellex, vaſa, largitio, lapillis ex æquo affulſerunt. hæc pro exemplo, vt conſpicuũ ſit opportunâ magnificentiâ theſauros

ſpretos, & hos, quod ſupra magnificẽtiam eſt, mirante Româ. Comeſſari ſolebat frequentiùs hilaris, non fluens: nullâ cibi ſaporíſque peregrini luxuriâ. non excogitatæ prandiis artes: leues & communes cœnæ vectigalis aut portorij non abſumpsêre pretia: frugalitatem imperauit exemplo. Aculeatum verbum & ſubitaria Henrici dicacitas, dos materni ingenij. Ioanna enim Albretia ſalſo fuit & nitente eloquio. amabilis fuit in dicace viro, ciuilis verborum tẽperies modúſque. debellatorum neminem amaro ſcommate vellicauit Henricus, lætus laureis, verùm deplorans bella. de victoriis ſuis locuto, nunquam excepta vox illa, cùm fugarem Mayennæum, ſed cùm diſſiparem conſpiratos diſſimulato nomine: aut ſi quandò expreſſit hoſtem, fudi Farneſium, Iberos trucidaui: prorſus Cæſar victis in Africa Scipione, & Iubâ, de Iuba ſolo triũphauit. & dum Gallica vulgò prælia ia-

ctaret, tacuit Pharſalica. ſic Henricus expreſſit Iberi, non ciuis fugas.

Incitatum ſeni ipſi aleæ ſtudium luſúsque. non ſolùm aulâ, ſed regno toto regis æmulo error concaluit, tantâ ludentium nequitiâ, vt centena numûm aureûm millia fuerint inter damnorum ludicra. qui perdentes ſcripto nominauere, perditos notarunt. exercuit Princeps luſus flagitium, poſtquam venatu abſtinuiſſet: nam cùm nil magis otiosũ quàm podagrici pedes, occupanda fuit deſidia: & per occaſionẽ vitio immergimur. Rarò lethali morbo afflictus eſt: niſi quando olim Nauarrus bellauit in Pictonibus aduerſus Niuernenſem. tunc per laboris iniquitatem contractâ pleuretide, quam triſtes medici dixêre inſanabilem, cautâ & audaci Martelli Alẽçonij Chirurgi manu, vel leui phlebotomiâ eſt ſanitati reſtitutus. dein rerum dominus, vretrâ obſtructâ, prçſenti nece premebatur. Quercetani Medi-

ci mirabile inuentũ, ferro ſpecie terebelli vel ſyringis interuulſit vrinę viam. vicit ars hoc exemplo naturam fabricare peritiorem, quàm reficere.

Nobiliſſimum per ſecuritatem otij negotiũ aggreſſus eſt, vrbem reformare. ea magnificentia ſtructuræ publicæ priuatæque, vt cuncta quæ ſpectas, veneranda ex imagine regij conſilij, pontibus, foro, viis, noſocomiis, fontibus, templis, porticibus, hauriãt. Alexander paucos antè dies ſuplicabat aſſiduè: Henricus orauit, & loco pij voti ſequeſtro manus erexit ad Deum paucis ante excidium horis. Alexander Babylone, Cæſar Romæ, Henricus Lutetiæ ablatus, cuncti in vrbibus principibus, & per dies theatrales. Alexander Macedonico deletus dolo: Romano pugione Cæſar: Henricus non extera manu percuſſus. Alexander præſagia mortis primùm deſpexit, dein extimuit. Cęſar Idus contempſit; & genus mortis

deſignauit, pridiè quàm occideretur, inopinatum vitæ finem commodiſſimum reſpondens: prædixit Henricus accedens funus, vt docent Hiſtoriarum libri. ſpatio ante cædem non multo, ad Guiſium familiari ſermone, Et te, inquit, cum deceſſero proximè, recordent mei deſideria. & ad Reginam; volo, Auguſta, citiùs me præſente coronã excipias, quia die veneris vale tibi dixero. & olim ſcandens in eſſedum: Auguſtum Condatẽ allocutus, mihi prædictum, inquit, mori in eſſedo. genus mortis præſciuit.

Cæſar adempto Pompeio, vix imperium guſtaſſe cœperat, & ignem ingenij non cohibuit diutiùs intra deſidiam domeſticam, deliciáſque principales. Ruens in vlteriores Parthos volucri meditatione ſuprà rerum fines: non laxans curas & corda laborum oblita. acquieuit Henricus regno firmato, longáque otia ad Moſam leui motu rupit:

ſerò tandem manus ad gladium retulit: quando vterque gladio traiectus in magnæ expeditionis apparatu, non vano terrore eſt liberatus orbis. maximarum rerum deſideria abolita cum ipſis: non vt in Iaſone, & Philippo deſideratis, conſternandi Perſæ dilata tantùm non oblata pręſens expectatio. inde extraneæ ſtragis parcimonia: duces enim ſolas expendunt in ſanguine laudes. ex Henrici expeditione, laxiùs eò metus peruaſerat, quod perſpectâ nemini inſultus causâ, in ſe quiſque populus ſuſpicatus eſt parari tela: ſic fulminis ictũ rari vident, in ſe cuncti verentur intendi. extranei quidam in Italia, regis parricidam, Sotêra ſuum dixerunt, eique inter pocula propinarunt: iuſſit Paulus Pontifex improbos damnari ad triremes. nam cùm fideret Chriſtianiſſimo cordi Pater cui inſultabant, lætam capripedum proteruiã, iniquum gaudium, ſanctus ille doloribus & mœro-

re caſtigauit. Quo deſideratus eſt anno, numûm aureûm erogarat ducenta millia Redemptoris Domini reficiendo tumulo, in numinis gratiam peregrinante vltra maria theſauro. vtilis abeunti pietas cœlos anticipãs. quòd cecidit, non periit regi: iactura tota gentium eſt & tranquillitatis: nam quãtùm paci publicæ adimitur, tantum accreſcit memoriæ, & deſideriis adempti Principis. qui regnare deſiit, ſaluti mortalium regnóque expetitur: optimum verè prædicant nunc quoque defunctum, vbi nulla adulantis gratia vel merces. ſi Henricum cum promiſcuis regibus comparem, herclè ambroſiam cum abſinthij ſucco componam, cum amarore gratiſſimas dulcedines. ſi regiam ambroſiam cum egregiorum regum melle confero, nouies Principem heroicis principibus antepono. nam apud authores qui mel & ambroſiam ſapiunt: circa volupe, mel eſt Ambroſiæ nona pars.

A01 1469864